


Ex-Libris
PODHORCE


V
B
J
C

LUDOVICUS LANDGRAVIUS HASSIÆ


Princeps Hæreditarius de Hessen-
HOMBURG

Ordinis in Moschovia S. ANDREÆ Apost: EQUES
Militiæ Imperatoriæ Majestatis Rossiacæ,
nuper GENERALIS LIEUTENANT,
jam Artilleriæ ejusdem Rossicæ Præfectus
GENERALISSIMUS,
Gvardiæ Przyobrażenicæ MAJOR &c.
Genere, Gloriâ, Meritîs

SUMMUS.

Genealogico-Historica relatione
à Minimæ Societatis JESU Collegio Leopoliensi
ORBI DESCRIPTUS.

Typis ejusdem Collegii Soc: JESU Leopoliensis, Anno Domini 1735.



In Stemma
SERENISSIMI PRINCIPIS.

I.

Hassiacâ, quæ Major erit, per Regna per Orbem
Nobilitas, cûi dant, Sidera Stemma CRUCES:
Nobilius nullum CRUCIS est præ Stemmate signum.
Sangvinis hanc Christi nobilitavit Honor.

2.

Stemma CRUCIS, tantum PRINCEPS, supereminet omnes,
Quàm super est, pretium qui dedit ipse, CRUCI:
Plus Constantinô, donarûnt sidera CERIS
Hassiacis, geminas cum tribuêre CRUCES

3.

Sic jubar, Hassiaco de Stemmate promicat Orbi,
Ut faciant populis omnibus Astra diem;
Quin & Magnificis radiant tot sidera Ceris,
In terris Cælum condat ut ista Domus.

4.

Estis Atlánteis humeris, cervice vel estis
Herculis, Æthereum Stemmate fertis onus.
Cum tot sideribus vel in Hessos lapsus Olympus,
Vel nova, par Cælo, parturit Astra, Domus.

5.

Terna per, Hassiacum Flumen, ruit ostia, Famæ
Per Septem, non plus, ostia Nile vehis:
Flumina, stat, si quando Deos habitâsse, Deasq;,
Hos habitat Fluvios nunc Dea summa Thetis,

6.

Principis hâud humili creverunt Flumina fonte,
Nec Tagus aut Hermus Stemmatis aurat aquas.
Nobiliore Ducum venâ ruit Amnis in orbem,
Nectare, & aurifero de Jovis imbre tumet.

7.

Nobilitant, Princeps gemini Tibi STEMMA LEONES,
Hoc, Animi speculum, Stemmate cerno Tui:
Est Tibi Corde LEO, spirat stirps tota LEONES,
Hinc meritò Ceras auget uterq; TUAS.

8.

Per nemus Hircanum, Fama est, regnare LEONES,
His minor est omnis, nobilitate fera.
Verius Hassiaco regnant in Stemmate, postquam
Stant inter Regum Nomina, stantq; Ducum.

9.

Provida turba, CANES, circumstant STEMMA DUCALE
Excubiasq; gerunt Principis ante Domum:
Huc puto delapsus Canis Erigoneius, Astrîs,
Ut cubet Hassiacos pervigil ante DUCES.

10.

Post decus innumerum, dat Stemma DUCALE Coronam,
Quærendum est reliquis, hìc Diadema domi:
Stemma Coronam offert; ex vobis quilibet effert
Hassiacus PRINCEPS ad Diadema Caput.

PRINCIPUM SERENISSIME.

FActus es à Natura ad gratias, à nutritia Tuî comitate educatus ad clementiam, PRINCEPS SERENISSIME: indulgebis proinde, quòd usitato scriptoribus illis passu, qui in summis quærunt compendia, Domûs Tuæ Magnitudinem Regalibûs foliîs scribendam, in hujus paginæ parvos terminos colligimus. Utiq; immensam triumphi gloriam, Roma vetus in lauream: ingentia sacra mos antiquus, guttâ Arabici Thuris, arctabat: eadem nos exempla secuti, brevi periodo amplectimur Genus Tuum, terrarum Orbe vastius, & usq; ad Superos excurrens. Nec verò id agimus, quasi Majores de Hessen: Homburg Landgraviÿ, in Nomen Tuum vixerint: aut quasi Tu ab illis tantis descenderes tantillus: quibus potiùs adderis, ùt culmen Olympo, ùt

apex fastigio, ut Magnis summum, ut praeclarae illorum Famae, Tuba in orbem vocalissima. Nemo unus parvum Te suspexit, nisi in fasciis, cunisq; jam tamen vel tunc quoq; vultum habebas minantem magna; oculum habebas, qui pro sole fuit Occidenti, & superioris Germaniae fronti pro pupilla, hoc est pro eo, quo se magnificentiùs circumspiceret. Ut verò cum annis Majestatem corporis promovisti; Major jam eras, quàm ut Paternus Te Landgraviatus, quemadmodum olim Alexandrum Macedonia, posset capere. Ergo Rossiaci Imperij Orientem adiisti, quem roboris Tui claritudine, luce gladij illustrares Heros conspicuus, tantusq; sub quo Mars ipse mereri, Victoriae discere triumphos possent. Illustrâsti sanè, dum contermino finibus Persiae Castro Derbent Gubernator, poscente Imperij felicitate, donatus, fortunam simul Imperatoriam, simul Nominis Tui animiq; magnitudinem, Persicô latiùs Regnô sparsisti cum Laureis, quas ab ipsa periculorum fronte rapueras. Indè triumphîs reducem comitibûs, Potentissima Rossiae Imperatrix, *ANNA, collato torque aureo salutavit, hoc ipso testata, Te Imperij sui Monile esse gemmeum; sui praeterea Ordinis S. Andreae insignibûs ornatum, non fecit invictum Equitem, sed declaravit. Talis, tamq; Augustus, Poloniae Regnum adiisti* INVICTISSIMUS GENERALIS LIEUTETNANT, *mox Artilleriae* Praefectus Summus, IMPERATRICIS ROSSIACAE GVARDIAE MAJOR, *Heroumq; Heros Maximus. Legimus de Tua facie, quaecunq; decora pridem nobis Fama lituô suô cantaverat. Videmus in TE* LUDOVICO, *quidquid Principes Hassiae*

siæ Landgravij fuêre: Spectamus sangvinem Regium Hungariæ, Ducatem Brabantiæ, imò sidereum etiam, & Te Superorum consangvineum. Nimirum Ludovicus VI. Thuringiæ & Hassiæ Landgravius, cognomentô, Sanctus, (juxta alios: Pius) ut par pari nuberet, Divam Elisabetham, Andreæ II. Regis Hungariæ Filiam, sub annum 1121. *suo junxit connubio. Ex ista Sophiam Henrico II. ad usq; nomen Magnanimo, Duci Brabantiæ nuptam procreavit: Nepote auctus pariter Henrico, quem amor Publicus, ob indolem, ad sæculi sui delicias natam, Puerum Brabantiæ (juxta alios: Hassiæ) vocavit. Hic post Ludovicum VI. Hassiæ Landgraviatum successione accepit, eundemq; cum Principatu titulum, per longam Posterorum seriem, ad TE,* PRINCEPS SERENISSIME *transmisit. Recumbit in TE Domus Vestra, non inclinata, sed ita eminens, ut, si quam fastigiô non adæquet, excedat: ità Augusta, ut in plurimas Landgraviales, & Hassiæ lineas, ac Familias, Majestatem suam extenderit. Nam imprimis per Philippi I, cognomentô,* Magnanimi, *Landgravij Hassiæ Filium unum, Wilhelmum II.* Sapientis *titulô donatum, in Hessen-Cassellanam; tum per alterum ejusdem Filium Georgium I., appellatione* Fortunatum, *in Hessen-Darmstadiensem: inde per Ernestum, Mauritij Landgravij de Hessen-Cassel Prolem masculam, in Hessen-Rheinsfelsensem: demum per Georgij I. Fortunati, Landgravij de Hessen-Darmstadt Natum, in Hessen-Homburgensem abiit Prosapiam: cujus TU Apex es,* PRINCEPS, *& titulus Serenissimus. Nec tantùm; sed insuper universorum Hassiæ*

omnis

omnis Landgraviorum, summa es immensa; insignium vocabulorum, quæ illis facinorum gloria imposuit, pulchrum compendium. Quid enim? corporis & potentiæ bellicæ infractum robur, Henricum II. vocavit, Ferreum? *Tu utcunq; aureus, & sæculi nostri pretium, sicut usum ferri triumphalem, sic cognomen amas, membrorum viribûs, animiq; invicti præstantissimus. Hermannum, Wilhelmumq; II.,* Sapientes *dixit vox publica? Tu civilis, Heroicæ, Imperatoriæ Prudentiæ Numen, tam verè diceris, quàm certò exstitisti. Ludovicus I, ille post Albertum II. Cæsarem Austriacum, An.* 1440. *vivis ereptum, ab Electorum Imperii suffragiis ad Solium postulatus augustissimum, jamq; Imperator, nisi Dignitatem Domûs, prætulisset honori Cæsareo; ille, inquam, Ludovicus, nomen* Pacifici *obtinuit? laurum Tu quidem, palmasq;, florem bellorum in manu tenes; verùm & oleam, Pacis frondem complecteris. Summa hæc nomina; at nondum omnia. Ob illam vultûs Principis serenitatem nulli tristem,* Lætus *appellàri mereris, ùt olim Ludovicus II;* Magnanimus *adorari, ùt Philippus I,; suspici* Fortunatus, *ùt Georgius I de Hessen-Darmstadt;* Fidelis *nuncupari, ùt Ludovicus III. pariter de Hessen-Darmstadt. Sic omnem Hassiæ Principum, sic Proavorum tuorum laudatissimas appellationes complexus, meruisti ampliores, nisi plura Tibi essent ingentium titulorum merita, quàm penes Gloriam ipsam Nomina, Tê, tuîsq; dotibûs digna. Longiores sumus in Majoribus Tuis recitandis: at quanti adhuc supersunt? quos præterire nefas est, Tuæq; Gloriæ detrimentum. Memoremne Ludo-*

vicum

vicum Henrici I. Pueri, Primiq; Landgravij Filium, Episcopum Monasteriensem, an: 1320 involutum fatîs? Arcem ille Marpurgensem condidit; tum Sacellum in Burgo, Numini Maximo, sibi Templum Honoris posuit, fundavitq;. Referamne seu Othonem, Othonis Landgravij Hassiæ Progeniem, Archiepiscopum Magdeburgensem, conditorem insimul Castri à suo Nomine dicti, Ottenstein? seu Hermannum, Ludovico I. Hassiæ Landgraviô natum, Archiepiscopum, & Electorem Principem Coloniensem, illum sub Infula Heròém, qui adversùs Carolum Temerarium, Burgundiæ Ducem fortiter propugnavit Nuitz! Quid Fridericus, Ludovici I. Fidelis, *Landgravij de Hessen-Darmstad Filius? Equitis primùm de Maltha strenuissimi, ac totius Ordinis per Germaniam, Prioris Magni partes gessit, implevitq; mox ab* Innocentio X. *Purpurato Cardinalium Senatui insertus, Galero simul, & Vratislaviensi Infulæ submisit Caput, quia utroq; pileo eminentius habuit. Protectoris tandem Germaniæ, & Supremi per Silesiam Capitanei munus altissimè extulit, dum gessit. Quid Georgius, Ludovicô IV. de Hessen-Darmstad progenitus? Arma Cæsarea per Irrlandiam, Belgium, Hispaniam, Hungariam, Piemontum circumferens, omni in pulvere laborem Heroicum seminavit, palmas messuit. Tandem in Hispania Supremus Stabuli Præfectus, Camerarius, Grandis Hispaniæ, Eques aurei velleris, & Prorex Catalauniæ, tot, tantasq; Dignitates occupavit, præmium vincentibûs meritîs. At Philippum, Fratremq; Fridericum, dignam Ludovicô Landgravio IV. de Hessen-Darmstad Prolem satis laudа-*

 visse

visse est, dum nominatur. Ille Cæsareus Campi Mareschalcus, & in Ducatu Muntuano locum-tenens; hic Romæ in Abbatem, subinde in Canonicum Vratislaviensem, & Coloniensem evectus, suo uterq; honori idem erat, quod gemma annulo.

Quid jam, post tantas Dignitatum Magnitudines, Familiæ Tuæ, PRINCEPS SERENISSIME, *restabat, nisi ut Solia invaderet, jactaret se per Thronos? Invasit longis retro sæculis; nunc etiam eminet supra populos, in Friderico I. Svecorum, Gothorum, Vandalorum Rege Serenissimo, simul Hæreditario Hessen-Cassellano Principe. Ductâ scilicet in tori sociam, Ulricâ Eleonorâ* Caroli XII. *Svecorum Regis Sorore, Regno Pater est, Regnoq; Maritus; at Hassia in illo, Regum Sveciæ Mater est, venaq; sangvinis coronati. Ne verò decus hoc invideret Regnorum plerisq; Polonia; fecerunt Superi, dum Regi Poloniarum* Casimiro III. *cognomine* Magno, *Adelaidem Henrici II. Landgravij Hassiæ Filiam per connubium junxerunt: dum item* AUGUSTUM SECUNDUM, TERTIUMq; *Principes Saxoniæ Serenissimos, Solio admoverunt Sarmatico; tam verò communione Sangvinis Dominatoribus Hassiæ intimos, quàm cælo Phæbus luce sua. Habes hinc Tiaræ tuo fæderatam Sarmatiæ Coronam,* PRINCEPS SERENISSIME; *habes Regum nostrorum Purpuram, Tuo sangvine imbutam penitius, quàm suo murice: illam proinde & armis vindicas, nè sit lacera; & cordi apprimis, hoc est, medijs infers amoribus, ut serves integram. Jam Dania suos sibi Reges paritura, nupsit*

Hassiæ,

Hassiæ; cùm Christianus V, alÿs VI. Pandoram indè duxisset Charlottam Amaliam Annô 1667. 25. Junÿ, Filiam Wilhelmi IV. Landgravÿ de Hessen-Cassel. Altera verò ejusdem Wilhelmi IV. Filia, Elisabetha Henrietta Anno 1679. assumpta è Domo Vestra Hassiæ, in tori, & throni sociam à Principe Electore Brandeburgensi, postea Rege Borussiæ Friderico I. Serenissimo.

Pariter & aliæ Domus, ac per Imperium Familiæ, è Domo Vestra, connubiali fœdere traxêre Magnitudinem, ut à Vestro Principe sangvine, magìs Purpureæ viderentur; scilicet Duces & Electores Saxoniæ, nec non alÿ Saxoniæ Duces de Saxen-Eisenach, de Saxen-Halle, &c. Duces Brunsvicenses, & Luneburgenses, Wurtenbergenses, Cliviæ, Holsatiæ: Magni Duces Mecklenburgenses: de MecklenBurg-Schwerin, de Mecklenburg-Gustrau, de Anhalt-Dessau, Salm-Reifferscheid & Lippe-Buckeburg. Electores Palatini Rheni; Comites Palatini; Bipontini; Comites Palatini in Sultzbach; Principes de Anhalt; Comites Tecklenburgenses, Alÿ Comites Tecklenburg de Beichlingen, Tecklenburg de Waldeck, Tecklenburg de Solms, Tecklenburg de Lippe, Tecklenburg de Erpach; Comites Ost-Frisiæ; Comites Nassovienses, de Nassau Welburg de Nassau-Dillemburg, de Nassau-Sarbruch, de Nausau-Siegen, de Nassau-Dietz. L. Barones de Lilienburg in Hollandia: Domini de Gottingen: Omnes per Principes Vestras Filias quæsiêre sangvinis altitudinem, & è Domo Vestra Hassiæ, contraxerunt. Quidsi recenseam, quemadmodùm Vestram in venam confluxit Sangvis Cæsarum, Regum Hungariæ, Poloniæ,

niæ, *Sveciæ*, *Daniæ*, *Borussiæ*; *Electorum & Ducum Saxoniæ*, *Ducum Curlandiæ*, *de Schlesvig-Holstein. Wurtenbergensium*, *de Saxen-Gotha*, *de Saxen-Zeitz &c. Marchionum-Brandenburgensium*, *Badensium*, *Misnensium*, *& Landgraviorum Thuringiæ*, *Principum de Anchalt*, *Comitum Palatinorum Biponti*, *Comitum de Leiningen*, *de Solms*, *de Solms-Laubach*, *de Hanau-Muntzenberg*, *de Nassau*, *de Nassau-Dillemburg*, *de Ravensburg*, *de Spanheim*, *de Nassau-Welburg &c. imo totius Romani Imperij sangvis reddit Vestrâm Domum Magnam*, *quæ quasi quadruplici alveo lineæ Hessen-Cassellanæ*, *Hessen-Darmstadiensis*, *Hessen-Homburgensis*, *Hessen-Rheinsfelsensis*, *alias universi Imperij Domos*, *ac Familias irrigârunt*, *& reddunt Maximas.*

Metire nunc Magnitudinem Generis Tui, PRINCEPS *Maxime. Vilescit Solis Regia*, *Hassiæ Domui collata*: *pauciores Phæbo radij*, *quàm illi Nomina Serenissima*; *quæ inter*, *ò quàm illustre! quàm Augustum Nomen est*, *Serenissimus* Fridericus III. Jacobus Landgravius *de* Hessen-*Homburg*, *Tuus*, *& omnium Decorum Parens*: *tam verò* Heros *inclytus*, *ut Achilli*, *ut* Hectori, *cæterisq́*; *bellorum priscis prodigijs laudem extorserit*, *cùm Reipublicæ* Hollandiæ *exercituum Supremus* GENERALIS LIEUTENANT, *ad victorias instrueret. Bellatorem tantum*, Hospes *tunc in* Hollandia *Magnus ille Petrus I. Imperator Moschoviæ Potentissimus vix aspexit*, *amavit*; *illatum pectori*, *in sui etiam Imperij viscera intulisse optavit votîs ardentibûs*; *parumq́*; *aberat*, *nè pertraheret*, *nisi Paternus Landgraviatus*

viatus habenas tenuisset, suâ orbari gloriâ impatiens. Neq; tamen desideriô suô carere sustinuit Dux Rossiacus: sed Legatîs Principibûs submissîs, pro Sole ipso Gemina Sidera cælo Septemtrionali donari postulavit, Te nimirum Principem, Fratremq; Carolum. Exoratum est: Ivistis circà Annum 1723; *neq; tam Imperium Moschuæ, quàm Capitolium adiistis, Magnì de Imperatorio pectore Triumphatores, cujus amores, animos, pretia omnia occupâstis indole illa, quæ, Romanô veriùs Titô, Deliciæ Orbîs dici meruit. Ast Carolum quidem Principem circa Annum* 1729. *in Livoniæ Urbe Felin (ô stragem! ò fatorum invidiam!) mors subduxit; creditur: ut divisam hactenus in Fratres Geminos Imperatoriam Majestatem, Tu unus Totam, omnemq; possideres. Possedisti certè tam Imperatoris* Petri, *quàm modò Augustissimæ Imperatricis ANNÆ æstimationes, ultro ad Te procurrentes pariter, ac aurum rapitur ad Chrysolitum. Nam quis non summâ librâ appendat, seu Paternam in Te, Hassiæ Principum Magnitudinem, seu Maternam Serenissimæ Parentis Elisabethæ Dorotheæ, Ludovici IV. Landgravij de Hessen-Darmstadt Filiæ, Dignitatem? quæ præter nativam Teutonicam lingvam, Italicæ, Gallicæ, Latinæ gnara, aliquot eruditos libros Italicâ lingvâ, prælô edidit. Quis Tui animi, quæ Principem consecrant, dotes ad pretium sæculi factas, non maximî faciat, stupeatq;? Leonem in Ceris habes, & in animo; cui concurrere Hercules metueret: usq; adeò Majestate roboris invictus est! Ille tamen ita insimul mitî ingeniô ad omnes spectari amat, ut neminem aut rugâ terreat, aut despectet superciliô, multò*

C *minùs*

minùs vires exerceat, præterquam in dura, & obluctantia. Oris quidem Majestas Tibi, qualis Jovi fuerat, Augusta, & reverentiam jubens oculô; sed non fulmine armata, & terroribûs; comitati potiùs ita permista, ut res diversissimas junxeris, Martem & Gratias. Hinc supplicibus, Ara es Clementiæ; flentibus injuriis spongia; abstergis lachrymas, & quasi in sinu Tuo dolorem reliquissent, inter gaudia dimittis. Jam Germanicâ, Italicâ, Gallicâ, Latinâ, Rossicâ, lingvâ, loqueris; qvovis autem in verbo plus dulcis habes affabilitatis, quàm mellis Plato in ore toto. Prædicant Te pariter lingvæ omnes; perorant Magnitudinem Tuam in Orbem universum.

Cum verò ea præstes humanitate, in spem erigitur Minima nostrûm Societas, quòd ejus officia, Lineam Tuæ Principis Familiæ, radiumq; tenuem, Serenissimi Generis Tui, *Sole latiùs diffusi ferentia, sin minùs manu* PRINCIPE, *oculóq; dignaberis, saltèm admittes sub pedum vestigia; quæ dum pro nobis steterint, fortiore Patrocinio non egebimus. Vive* PRINCIPUM SERENISSIME; *numera Fortunam in obsequio, Victorias ad nutum, sæcula ad votum; dum verò Patrem esse libebit, da Progeniem Tibi parem, Solijs Regnorum post Te imperaturam.*

Itâ precatur

SERENISSIMO PRINCIPI LANDGRAVIO

Minimæ Societatis JESU

Collegium Leopolienſe

Suppedaneum.

HISTORICA DESCRIPTIO
HASSIÆ

HAssia, priscîs,nostrîsq; temporibùs Princeps Landgravialis in Germania, Provincia est; Orientem versùs, respicit, Thuringiam, seu Superiorem Saxoniam: Septemtrionem versùs, Vestphaliam. Ad meridiem, Franconiam, & Archi-Episcopatum Moguntinum; ad Occidentem, respicit Trevirim, Coloniam, & Ducatum Bergensem, seu Montium.

Denominationem hujus Hassiæ, olim Hassoniæ, dictæ, originem deducentes Scriptorum aliqui, fingunt Montem, Hassonem dictum, à quo derivatio hæc Regionis. Alijs placet ab Hassis, seu Hessis, ex Chattis, an Cattis, vetustis Germaniæ

populis, (unde & Catzenelbogensis Comitatus est) denominationem hanc Hassiæ, derivari. *ùt deducit Munsterus Cosmograph. univers. lib: 3. pag: 701.*

Complectitur in se, Landgraviatum Hassiæ, præcipua ex parte, Principatum Hirschfeldensem, Comitatum Catzenelbogensem, & ex parte, Dietz, Ziegenheim, Nidda; tum de Schaumburg, Reychenbach, & Beilstein, comitatus Epstein, Pless, Itter, Lichtenberg &c. Quæ omnes Provinciæ, dicuntur Landgraviatus Hassiæ.

Tandem hæ Provinciæ, crescente Principe Domo Hassiæ, in varias abiêre Familias: de Hessen-Cassel, de Hessen-Darmstadt, de Hessen-Homburg, de Hessen Rheinsfels, tum jure acquisito, tum connubiali fœdere, tum belli & juris litibûs, ùt videre est ex sequentibus. Cujus Hassiæ imus Possessor erat, & Successor post Ludovicum VI. Landgravium Thuringiæ & Hássiæ, Henricus I. dictus PUER è Ducibus Brabantiæ, exdiviso Landgraviatu Thuringiæ, Henrico, cognomētô ILLUSTRI Marchioni Misnensi.

Quondam Hassia, cum Thuringia, ùnum faciebat Principatum, sub Titulo, Comitatus Hassiæ, *Munstero cit:* sic referente, Hassiam olim Comitatum fuisse, subjectum Dominio Thuringiæ; quod probat liber Torneamentorum, in quo scribitur An: 1042 quòd Ludovicus Comes Hassiæ, fuerit

Hal-

Hallis [an Halæ] in ludo Militari ibi celebrato. Factus deinde Landgraviatus, cui accessit Catzenelbogensis Comitatus, & quidem per Filiam ejus Comitis ultimi, quam duxerat Henricus Landgravius Hassiæ. Præterea Bardo Archi-Episcopus & Elector Moguntinnus, consensu Conradi II. Imp: aliqua bona Thuringiæ, contulerat cuidam insigni Landgravio Hassiæ, Ludovico Barbato, fecitq; illum, Dominum terræ collatæ, qui genuit alium Ludovicum, dictũ: SALVATOREM. Hic iterum III. Ludovicum procreavit, cujus thalamo Filiam suam dedit Ludovicus Cæsar, evexitq; illum in Thuringiæ Provincialem Comitem. Hic primus in Thuringia titulum Landgravij gessit. Ortum itaq; Landgraviatus Hassiæ accepit ex Landgraviatu Thuringiæ; atque ambo similia habent insignia, Leonem scilicet; nisi quòd rubeîs alter, alter coloris diversi tramitibûs, sese inter, distingvãtur. *Hæc Munster.*

Quare & Henricus I. præfatus, PUER dictus, nec non ejus quidam immediati Successores, juxta plurium Scriptorum testimonia, non aliter, quàm Dominos Hassiæ, se scripserunt. Quia verò, non solùm è Ducibus Brabantiæ, verùm & ex Landgravijs Thuringiæ, duxère Originem; DUCUM HASSIÆ Titulô utebantur, donec tandem iisdem, eorumque Dominatui, PRINCEPS LANDGRAVIALIS Character concederetur; ex quo temporum cursu hucusque PRINCIPES

LANDGRAVIJ Hassiæ, dicuntur; & à Scriptoribus, inter quatuor Sacri Romani Imperij Principes Landgravios, recensentur. Unde & in Comitijs Imperij, sedem habent, vocemq; activam, alternatim cum Regibus Sveciæ, & Borussiæ, utpote Ducibus Pomeraniæ; nec non cum Duce Mecklenburgensi, Marchione Badensi, ac Duce Wurtenbergensi, alternant vota, & suffragia.
In Lexic. Germ.

Postquàm verò stirps LANDGRAVIORUM HASSIÆ, divisa esset, & protensa, in Domum Principem de Hessen-CASSEL, & de Hessen-DARMSTADT, seu in Superiorem, & Inferiorem Hassiam; Principatus unus dictus est, à Fluvio Lohne, alter à Fluvio Fulda, & Schwalm: eorumq; Successores & Possessores, duo Landgravialia vota, in Comitijs Imperij, conferre solent; ac prætererea tertium, linea de Hessen-Cassel, ùt Pacta volunt Westphalica, ob Principatum Hirschfeldensem.

Hinc pariter hæ duæ Familiæ, ratione, & ordine Comitatûs Schaumburgensis, in Westphalico Comitum loco, stallo, & ordine sellam habent, tam in Comitijs Imperij, quàm in Circularibus Conventibus.

Universa verò Hassia, circulis Rheni Superioris annumeratur. Habent Landgravij Hassiæ, super

per Urbem Imperij, Wetzlar, Jurisdictionem protectionis, & Imperialis Præfecturæ. Anno 1560. Jus primogenituræ, & succesſionis semper Majoris natu Filij, in Familias suas introduxêre: quod etiam deinde Pacta Westphalica firmaverunt, & Insuper Linea de Hessen-Darmstadt, Privilegium à Cæsare Ferdinando III. obtinuit, vigore cujus, Principes ejus Filij, tametsi nondum ætatis annum 18vum egresſi, gerendo pares Regimini declarantur.

Quod attinet Politicum Regimen Hasſiæ; constituuntur Ordines, & Satus, ex Prælatis, seu Spiritualibus; Equestri Ordine, & Civitatibus. Nomine porro Spiritualium & Prælatorum, comprehenduntur, Land-Commendarius Balley Hasſiæ de Marpurg, & Schiffenberg, Theutonici Ordinis Supremus; Administratores Cænobiorum, Haina, Merxhausen, Hofheim, Grima; & Nobilium Fundator Mercatorum; ac Universitates in Giessen & Marpurg. Equester Ordo, complectitur etiam Liberos Barones.

Olim Conventus Hasſiæ, præcipuè belli temporibûs, celebrabantur in Cænobio Spiesſcappel; qui locus meditullium est totius Landgraviatus, & Spiesſ dicitur. Propagatîs verò lineis de Hessen-Cassel, & Darmstadt, ejusmodi Congressus Hasſiæ, separatim jam in quolibet Landgraviatu sibi consulit.

Regio ipſa Haſsiæ, abundat omnibûs. Franckenbergenſes, & Schmalcaldienſes fodinæ, ferunt argentum præſtans; poſterior etiam chalybem & ferrum. Salis fodinæ ad Allendorff, Homburg, Nidda, Almerode, Hierschfeld, Cauſungen, Winckenrode, &c. tantum largiuntur ſalis, ut & vicinia inde copiosè participet. Habetur etiam copia lanæ & lini tanta, ut exteris inde Regionibus mitti poſsit. At Comitatus Catzenelbogen, & Epſtein, vinum fundit, dignum quod & Anglia, bibat & Hollandia.

Haſsiæ Urbes, præcipuè munitæ, ſunt Ruſſelſheim, Rheinsfels, Gieſſen, Marpurg, Hertzberg, Ziegenheim, Caſſella, Rinteln. Univerſitates ſunt in Gieſſen, Marpurg, & Rinteln urbibus.
Winckelman deſcript: Haſſ. Part. 5. cap. 4. &c. Dilli-chi Chron. Haſſ. Pfeffinger ad Vitr. tom. 2. lib. 1. tit 17 pag. 616.

ORIGO FAMILIÆ LANDGRAVIORUM Hassiæ

FAmilia, & Domus Princeps LANDGRAVIORUM Hasiæ, à Thuringia separatæ, Originem nacta è Ducibus Brabantiæ. Nam Henricus II. dictus *Magnanimus*, Dux Brabantiæ, post Mariam Sveviæ, Philippi Cæsaris Filiam, ex qua Henricum *Seniorem* suscepit, dū votô secundô Sophiā sibi junxit, Ludovici VI. Thuringiæ & Hasiæ Landgravij, & Divæ Elisabethæ ortæ ex Andrea II. Rege Hungariæ, Filiam, dotis nomine, accepit Hasiam. Hæc illi peperit Henricum alterum, Juniorem, seu *Puerum* Brabantiæ, juxta alios, Hassiæ, sic dictū, quòd adhuc in cunis vagientē, Pater mortuus destituisset. *Lexic. Germ. edit.* 1722. *Gramaye Antiquit. Brabant. Divæus Rer. Brabant. Barland. Chron. Brabant. Pakschay Chronol. de Reg. Hung. Bonfin. de Hung. Ribadeneira in Flore. Sanct. Munster.*

Jam verò hic Ludovicus VI: Landgravius Thuringiæ & Hassiæ, cognomentò SANCTUS, (ita plerique Scriptorum calami; nonnulli PIUM vocant) natus Patre Hermanno I. Landgravio Thuringiæ, & Hassiæ, duxerat Ann: 1121 Elisabetham Divam, & Albo SANCTORUM per Gregorium

IX. An: 1235. insertam (ùti & ipse Ludovicus in opinione Sanctitatis, tempore bellicæ, adversùs Saracenos, expeditionis in Terram Sanctam, Hydrunti An: 1127. obijt.) (*Lexic. Germ.*) Filiam ANDREÆ II. Regis Hungariæ; ex qua Hermannum II. Landgravium Thuringiæ & Hassiæ Filium, sed annô ætatis 18. venenô sublatum, suscepit præter duas Filias. *Lexic. Germ: voce: Thuring. Morery. voc. Thuring. & alij.* Quarum una Sophia, desponsata Duci Brabantiæ Henrico II. Alteram Marchio Misnensis, Juditham duxerat. *Munster. Cosmogr. Univers. lib. 3. pag. 703. Lexic. Germ. Morery. voc. Hesse. Famille. & alij.*

Dum itaq. Hermannus II. ultimus suæ Stirpis Thuringicæ, & Hassiacæ Landgravius, anno ætatis 18vô veneni hausta lue obiisset, citra prolem ex Beatrice Ducis Brabantiæ Filia susceptam: hæc deinde in thalamos Vilhelmi Comitis Flandriæ trãsiit. Rixæ autem non leves inter Sorores, hinc Sophiam, Juditham indè, earumq; Maritos Duces, ac Filios surrexère, utrîsq; partibûs, successionem in Thuringiæ & Hassiæ Landgraviatum, ad se rapientibùs.

Sophia enim, una Hermanni II. Landgravij Thuringiæ & Hassiæ ultimi defuncti, Soror nupta Henrico II. Magnanimo Duci Brabantiæ, genuit Filium, Henricum, PUERUM dictum Brabantiæ, sive Hassiæ. Altera, desponsata Marchioni

Mis:

Misnensi, genuit Filium Henricum, cognomentô ILLUSTREM, Marchionem pariter Misnensem. Hic ergo Misnensis Marchio, Henricus ILLUSTRIS jam aliàs meritus, ut illi Fridericus II. Imperator, Landgraviatum Thuringiæ anno 1242. promissis destinâsset augustissimis, Successionem in Bona Hermanni II. Landgravii ultimi Thuringiæ, & Hassiæ, sibi vendicaverat: cùm Sophiæ Filius, Henricus, intra pueritiam ageret; ejus autem Matri, (ut ajebat) Sexus fæmineus obstaret ad Jus Successionis in Bona Fratris sui. Nihilominus Sophia, pro Filio, Henrico PUERO, fortiter incubuit, nè possessionem Bonorum Fratris sui Hermanni II. deperderet. Inde discordiarum semina, imò seges; mox cruenta bella erupêre, quæ ad usq; annum 1263. duraverunt.

Albertus etenim, Dux Brunsvicensis, partes Henrici PUERI Brabantiæ, sive Hassiæ, tuendas susceperat, præcipuè cùm progressu annorum, ejus Filiam duxisset Adelhaidem, Annô 1255. vel 1258. in uxorem, ex qua suscepit Filios, Henricum & Othonem, qui Patri successit Landgravius. Illâ verò belli aleâ sic circa Henricum *Puerum* fortuna lusit, ut captivitati traditum non priùs in libertatem reposuerit, quàm ejus Filius Otho, summâ 8000. marcarum argenti enumeratâ, restitutisq; octo Arcibus ad Fluvium Verram, Patrem vinculis exemisset. Quo factô deferbuêre intestina & domestica bella, inter eos, & Pax composita est hoc modo: ut Henrico PUERO Brabantiæ,

MarchioMiſnenſis cederet Haſsiæ Landgraviatum, cum his Caſtris, ſeu Arcibus: Eſchwege, Beilſtein, Allendorf, Furſtenſtein, Wiſenhauſen, Ziegenberg, Wanfrid, & Sontra: ac ut 8000. Marcæ argenti, ab oppoſita Parte illi enumerarentur. Itaq; ille Primus, ê Ducibus Brabantiæ, ſeparatæ à Thuringia Haſsiæ Landgravius fuit, à quo cæteri Principes Landgravij, & Familia Haſsiæ deſcendit.

Eccontra Marchio Miſnenſis, Henricus ILLUSTRIS, Thuringiam poſſedit, ab Haſsia exdiviſam, Landgraviorum Thuringiæ ab eo deſcendentium, Primus Landgravius. *In Lexic Germ. voc. Thuring. Witichindi Annal. Albini Specim. Hiſt. novæ Thuring. pag: 367. Sagittarii Antiquit Ducat: Thuring. pag: 294. Paullini Annal. Eiſenac: pag. 6. Reinhardi Antiq. Marchionat. & orig. Landgra. Thuring. Weckij. deſcript. Dreſden. pag. 152. Ludovici Germ: Princip. Dom. Sax: pag. 138. Lunig. Imperij Archiv. P. ſpec. pag. 410.*

SUCCESSIO
GENEALOGICA
LANDGRAVIORUM Hassiæ

HENRICUS. I. PUER agnominatꝰ
Primus LANDGRAVIUS HASSIÆ.

HENRICUS PUER de Brabãtia, sive de Hassia, Primus PRINCEPS Familiæ Hassiæ, natus An. 1245. Patre Henrico II., cui mens generosa, Titulum MAGNANIMI emeruit, Duce Brabantiæ; Matre Sophia, LUDOVICI VI. Landgravij Thuringiæ & Hassiæ, Filia, vel inde etiam Magna, quod D. Elisabetham, Filiam Regis Hungariæ, Andreæ II. dicti JEROSOLYMITANI, Parentem habuerit. Mortuô Ludovico VI. in annum 1248. absque Successore masculo, Hæredeq; lites non leves ratione Successionis Thuringiam & Hassiam agitaverant. Nam Henricus cognomentô ILLU-

STRIS, Marchio Misnensis ex Sororio Sophiæ progenitus, hæc Bona nitebatur sibi attrahere, Cæterùm tamen ità conventum est; ut Henricus ILLUSTRIS, Misnensis Marchio, Thuringiam; Henricus de Brabantia, ille PUER dictus, Hassiam possideret. Eo verò minorenni, Mater interea Sophia prudentissimè præfuit Hassiæ, quam, post Matris obitum, ipse Henricus, PUER hic cognomentô, gubernabat: idem an: 1720. contra Paderbornam, & an. 1277. contra Moguntium, felix bellum suscepit, transegitq;.

Introducere voluit Jus Primogenituræ, in Domum Hassiæ; contra quod se opposuit Filius ejus Henricus, Fortis, magna Nobilitatis parte sibi accedente; sed Imperator Adolphus de Nassau, tuendum Patrem accepit, Filiô interim Paternos ante obitus, exstinctô.

Exstruxerat in Urbe Cassel, Castrum, seu Arcem, monumentum ædilis gloriæ. Ut verò ditionem suam latiùs extenderet, emit Comitatum Beilsteinensem, ab ultimo ejus Comite Joanne, an. 1290. Arces Prædonum in Hassia, stare indignas, dejecit in terram; imò tellus ipsa, rapinarum excussit munimenta, quòd sentiret, displicuisse Landgravio culmen improbum. Tres Uxores, veriùs: vitæ Socias habuit Gratias. Adelheid Alberti Ducis Brunsvicensis Filiam an: 1258. ductam: ex qua suscepit Henricum, & Othonem, quorum poste-

posterior in Landgravii titulos successit Patri.

Secundô votô duxit Mechtildem Ducissam Cliviæ, Filiam Theodorici V. Comitis Cliviæ. *Morery. voc. Hesse. Famille.* ex qua, præter plures Filias, suscepit duos Filios; Joannem, qui obijt 1311. nulla relicta Prole ex Elisabetha, Filia Henrici, ADMIRABILIS, Ducis Brunsvicensis. *Morery. cit:* et Ludovicum, qui, rebûs seculi infrà animum suum habitîs, Statum Spiritualem elegit, coactusq; ad Infulas Episcopatûs Monasteriensis, ideo eas admisit in verticem, ut efferret. *Auctor est Munster*, Ejus studiô, aurôq; Arcem Marpurgensem, & Sacellum in Burgo surrexisse. Ævum vivere longius, ultra annum 1720mum meruerat, si fata ad virtutes ejus respexissent. Tertiô tandem conjugiali federe Annam sibi adjunxit Henricus, Ludovici, cui cognomen SEVERI, Comitis Palatini Filiam, quæ nulla illum Progenie beatum fecit. *Chron. Brabant. Haræi. Chron. Hass. Dillich. Speneri. Sylloge. Geneal. pag.* 658. *Imhoff. Not. Proc. lib.* 4. *Lexic. Germ.*

O T H O,

LANDGRAVIUS HASSIÆ

OTHO, Filius Henrici I. PUERI cognomentô, Landgravius Hassiæ, successit Patri; adactus quidem ab initio, Ditionem suam

partiri cum Ludovico, & Joanne, Fratribus. At Joanne mortuô an. 1311. abs Hærede; & Ludovicô in Episcopum Monasteriensem consecratô, Otho, annô eodem 1311. plenam adiit possessionem, induxitq; Jus Primogenituræ; ut scilicet abhinc Filius Primogenitus succederet Regimini, & possessioni Landgraviatûs; cæteri Fratrum dicerentur solùm, Principes Hereditarij, & Cadetti.

Ex uxore Adelheide, Comitissa Ravensburgensi quatuor suscepit Filios; Ludovicum, Hermannum, Henricum, Othonem, quorum postremus Episcopum egit Magdeburgensem: juxta *Morery, & Lexicon. Germ. voc. Hess. Fam: Munster. lib. 3. Cosmograph: Univers:* Præsulem Meidenburgensem, forsitan, quòd has primò Infulas, tum Magdeburgenses gesserit. Condidit Castrum ex suo nomine dictum: Othenstein. *Munster.* Jam Ludovicus, & Hermannus, Hereditatem adiêre divisam, in Grebenstein. & Nordeck. Sed *Munster: cit. pag. 704. in Tab. Geneal. Hass.* memorat, Hermannum, fatîs properantibûs involutum. Etiam *Morery. cit.* refert eundem, in ipso juventutis flore decerptum.

Itaq; Ludovicum inter, & Henricum, controverti cœptum est, de capessendo Landgraviatu Hassiæ: quod negotium compositurі, ejusmodi medium, de mutuo assensu adhibuerunt, ut eorũ alter nuberet, pleno jure gubernaturus Hassiam;

alter

alter vitam cælibem professus possideret Grebenstein, & Nordeck, juxta fluvium Leinum. Difficilius erat statuere, quem ex duobus Fratrem nupti thalami, quem floridi manerent: placuit ergo in consilium primò vocare fortunam, & aleam adhibere, quas huic, illiq;, partes jacta sors decerneret: deinde, unam utrosq; eandemq; Sponsam in conjugium poscere, pactô initô, ut, quem illa Spōsum elegisset, hic Dominatum Hassiæ acciperet. At verò dum FRIDERICI Marchionis Misniæ, & Landgravij Thuringiæ Filiam, hic & ille postulat tori Sociam, Henricum ista delegit, relictô infra vota sua Ludovicô. *hæc Morery, & Munster.* Sic Henricus non tam fortunæ gratiâ, quàm cælestibùs arbitriis Victor, Summâ rerum potitus, Patrisq; in Landgraviatum Hassiæ Successor, illum Annô 1723. adiit, frenavitq; imperiô. *Lexic. Germ. Alberti Saur. Chronic. Hass. Winckelman de Principibus Hassiæ.*

At Ludovicus, spe omni (quæ ultima relinquit animum) adeundi Landgraviatûs patrii exutus, illud sibi, contra pactorum sancita fœdera permisit, ut uxorem duxerit, Comitissam à Spanheim; Hermannumq; ex ea Filium progenuit: quem facto ætatis progressu, instituendum dedit Academiis, ut literarum peritia parem redderet Ecclesiasticis muneribus gerendis. Reddidit sanè; factūq; est, ut Otho, Magdeburgensis Antistes, inter Canonicos illū adscripserit, quanquam deinde à Sacris ad profana sese retulerit Hermannus.

HENRICUS II.
LANDGRAVIUS HASSIÆ.

Hic HENRICUS, Othonis Landgravij Hassiæ Filius erat primogenitus, quem hujusce nominis SECUNDUM, vox publica dixit FERREUM; tum quòd corporis, & virium robore præstaret; tum quòd vicinis Principibus fuerit formidandus, usq; adeò, ut universis timeretur offendi, vel irritari à quopiam, exortô de eo hac de causa, Proverbiô.

Hutte dich vor den Landgraven zu Hessen,
Wenn dū nicht wilst werden auffgefressen.

Latinum carmen sic explicat.

Formida, quicunq; Ducem suspexeris Hassum:
Viribûs, ac oculîs exanimare potest.

Nactus Primam Conjugem, Marchionis Missnensis & Thuringiæ Landgravij Friderici Filiā Elisabetham, *iuxta Munster. cit. Morery.* & *Lexic. Germ. voc.* Hac è vivis sublata, Mathildem, Theodorici IV. Comitis Cliviæ, Filiam in matrimonium assumpsit, sed sterile, nullaq; prole auctum ad usq; Consortis annô 1326. exstinctæ, supremum diem. Felicius erat primum cum Elisabetha Marchionissa Misniæ, & Thuringiæ Landgravia conjugium, ex quo scilicet Henricum, & Othonem, præter Filiam Juditham suscepit: Verùm Henricus, natu Senior, post junctam connubio Mechilam, Dioterici

Com-

Comitis Cliviæ Filiam, præmaturô fatô occupatus, nullam posteritatem reliquit. *Lexic. Germ. voc. Henric. pag.* 632. *col.* 2. *sed Morery. scribit ex alijs authoribus*, Henricum, mortuum, nondum annos juvenes egressum.

OTHO Henrici Frater, ejusdem Dioterici Comitis, secundam Filiam votis conjugibus desponsavit Elisabetham. Et quia per longum temporis spatium ad Aulam Cliviæ, dissimulata Generis dignitate, vitam egerat incognitam, Jaculatoris functus munere dictusq; ideo *der Schutz*, seu Jaculator. Quæ verò causa fuerit Othoni, ut alium à Stirpe Landgravia sese fingeret; subijcit illam *Lexic. voce Otho. pag.* 676. *Col.* 13. Nimirum cùm Frater Henricus nascendi felicitate Major esset, voluit Othonē Pater extra mundum agere, & Spirituali statui asserere. Quare in Parisiensem Universitatem missus est, ut literis excoleretur, ac se idoneum perficeret Ecclesiasticis muneribus. Sed quia genus hoc vitæ, infra vota sua habebat, incognitus indè discesserat circa annum 1340. ad Aulam Adolphi, Comitis Cliviæ, ubi ob suam elegantem Formam in animum Comitis receptus, fit Capitaneus Jaculatorum; cùm esset eorum exercitijs & jaculandi arte præ aliis habilior, & dexterrimus. Diu ita Generis sui luce, quasi tenebris damnata, latuit; factumq; est, ut nec Pater, nec ullus nôsset, ubi gētium ageret. Ejus porro absentia eò magis afflixerat Patrem, quòd interea obijsset Frater Seni-

 or,

or, nulla in ſpem Domûs relicta progenie. Donec tandem an: 1347. fortuitò, Eques Haſsiæ, Henricus de Homburg, inſtituta ſacra Peregrinatione ad urbem Aachen, in Cliviam, delatus agnitum Othonē prodidiſſet. Hinc amotô ſipariô, poſtquam, quis eſſet, patuit; Filiam ſuam alteram, Eliſabetham, formæ elegantiâ præſtantem, Comes Cliviæ illi deſponſavit, cum qua tandem ad Patrem profectus. At eum quoq; prole nulla ſecundum, mors ſuſtulit, an. 1359. non ſinè ſuſpicione propinati in veneno interitûs. *Adelar. Erich. Juliaci Chron. libr. 6. fol.* 261.

Juditham Filiam Henrici II. *Morery cit.* memorat; mortuam in teneris. *at Lexic. Germ. voc. Henric.* refert: Juditham, deſponſatam fuiſſe Othoni dicto, LIBERALI, Duci Brunſvicenſi, & mortuam abſq; Prole.

Munſterus cit: præterea refert, eiq; adſtipulatur *Morery*, Henrico II. Filiam præterea fuiſſe aliam, Adelaidem, quæ in tori, thronique Sociam ceſsit Caſimiro Regi Poloniæ, per ſubmiſſos Legatos deducta in Regnum an: 1356. Caſimiro, inquam, illi, quē TERTIUM hujus nominis habuit Polonia; quē item ex magnitudine geſtorū vocavit MAGNUM publica appellatio. Quòd verò, hic, non alter fuerit, dubio locus non eſt; cûm luculenti Scriptores, *Morery, voce, Caſimir Roi de Pologne*; tum *Cromer: lib.* 12. *de Rebus Polonor:* fidem faciant.

Ad-

Adhuc *ex Munſter. & Morery. voc. Heſſe cit.* colligitur, Henrico II. fuiſſe Filiã, Eliſabethã, quæ *juxta Morery* deſponſata Duci Saxoniæ; *juxta Munſter.* Alberto Duci Brunſvicenſi. Atq; aliam Juditham, Filiam ejus, deſponſatam Duci Brunſvicenſi. *refert. Morery. voc. Heſſe. Famille.*

Tanta auctus Sobole cùm ſeſe circumſpexiſſet HENRICUS II., nullam vidit, in cujus humeros, utpote muliebres, ſucceſſionem Landgraviatûs Haſſiæ reponeret. Et quanquam, poſt Othonis Filii ſui obitum, ſtatuiſſet, Jus hereditarium in Provincias ſibi ſubjectas, Genero ſuo, Alberto, Duci Brunſvicenſi committere; ab eodem tamen offenſam paſſus, nec par dolori, quem ira auxerat, juravit per Sanctam Eliſabetham, reſciſſurum ſe deſtinatæ ſucceſſionis filum. Quod ſpoponderat, deduxit ad factum; Nepotem ſuum, Hermannum, ex Ludovico Fratre progenitum, Landgraviatûs Haſſiæ Principem declaravit. *ita Munſter. At verò Lexic. Germ. voc. Henric. pag.* 632.*col.* 2. *ex Albert. Saur. Chron. Haſſ. & Dillich. Chron. Haſſ. Winckelmann. de Princip. Haſſ.* teſtantur, Henricum II. poſteritate orbum, Landgraviatûs Haſſiaci hereditatem diſpoſuiſſe in Othonem Quadum, ex Alberti, Generi ſui Fratre Othone LIBERALI, Duce Brunſvicenſi progenitum; mutâſſe demum voluntatem, dum ingratus beneficio Quadus, velociorem Henrico mortem imprecari, & quaſi maledictîs accerſere auditus eſſet.

Dum ita, obſtantibûs fatîs, Domum ſuam propagare non poteſt Henricus maſcula prole viduus, eò (*juxta Munſter.*) vertit ſtudium, ut DEO ter Maximo amplificaret Templa: hinc unam Caliſsiis Eccleſiam Collegiatam, Rotenburgi alteram condidit, dotavitque, dignus ætatem provectam longiùs extendiſſe, niſi mors ultima rerum linea vetuiſſet, ultra annum 1376. proferre vitam. Quod verò alij aſſerunt, eum ad Annos 104. perduxiſſe vitam, rem ſine fundamento narrari cenſet, *Lexic. Germ: voc: Henricus pag.* 632. *Albert. Saur. Chron. Haſſ. Dillich. Chron. Haſſ. Winckelman. de Princip. Haſſ.*

HERMANNUS
LANDGRAVIUS HASSIÆ

HEnrici II., FERREI cognomentô, Nepos; Ludovici autem de Grebenſtein, Filius, HERMANNUS, paſſim SAPIENS vocatus: quòd & ingeniô à natura acceptô præſtaret tali, quale Jovi, Minervæ Parenti, adſtruxerunt Fabulæ; & conſilii prudentiâ valeret plurimâ, ipſe ſibi Cōſul, & ipſe Senatus, ſi quando rerum ambigua poſtularent. Ad eam porro Sapientiæ gloriam, non Lucinæ ſolius donô, ſed Palladis quoq; ſuffragiô pervenit, non indignum Principe etiam Viro arbitratus, Muſas colere. Quod cenſuit, peregit cùm infirmiorem Patris fortunam vidiſſet, quàm ut in ea collocâſſet ſpes ſuas; ad diſcendas literas, tan-

quam

quam fortunæ ſupplementum, adjecit animum: ideoq; Pariſijs, & Pragæ, ingenium per ſtudia excolendum dedit, tantumque eminuit docto capite, ut laureas, Magiſtriq; titulum adeptus eſſet. Indolem tam præclarè, & ab eruditione, & à moribus Principe dignis inſtructam amavit Henricus II., nec ſterili affectu: nam in orbitatis ſuæ compenſationem, illum ſibi adſcivit Succeſſorem, & Landgraviatûs Haſſiæ Heredem ſcripſit, fecitq;.

Ut verò felicitas nemini unquam ſinè comite obtigit invidia, ſic neq; Hermanno cui ſcilicet oppoſuerat ſeſe Otho, cognom: LARGUS, ſive Liberalis, Dux Brunſvicenſis, ex eo, quòd fuerit Gener Henrici II., ductâ in uxorem ejus Filiâ Judithâ. Hoc titulô effultus, Landgraviali Haſſiæ Succeſſionem ad ſe trahebat: quod ut ex animi voto procederet, factio Sternerorum Duci Brunſvicenſi juncta, Caſtrum, & Fortalitium Sichelſtein erexit, ad quod Spes Hermanni alliſæ frangerentur. At ille robur robori objecit; Caſtrum Senſenſtein, Caſtro Sichelſtein oppoſuit; atq; adeò timēdus fuit, ut Brunſvicenſis Prætenſio perculſa ceſſerit.

Certè *juxta Morery. voc. Heſſe. Famille.* ob arma & virtutem bellicam, ingens ubique pretium & Gloriam, PRINCEPS Hermannus emeruerat; qui etiam Balthaſari Landgravio Thuringiæ, adversùs Othonem, Ducem Brunſvicenſem, ferrum ſuppeditârat auxiliarium. Inijt quoq; an: 1375. fædus ſucceſſionis, cum Domo & Familia Miſnenſi; quanquam

dein, rebûs vertentibûs, in hanc ipsam surrexit bellô.

Duxerat primúm, Joannam Comitissam de Nassau-Saarbrucken, ex qua nullam suscepit Prolem. *Morery. cit: Lexic. Germ.* Rursus Margaretham, Friderici III. Burggravij Nierenbergensis, Filiam; ex quo matrimonio genuit, Ludovicum I., dictum Pacificum, natum an: 1402. qui & Patri successit. *in Lexic. Goldmayer. de Orig. Hass. Saurij. Chron. Hass. Dillichij. Chron. Hass. Imhoffii. not, Proc. Speneri. Sylloge. op: Herald. Par: Specialis lib: 3. cap: 23. Europa Horoldi. part: 1. pag: 467. Gluverus Germ: antiq.*

Munster: lib. 3. pag: 704. in Tab: Geneal: addit, Filias illi fuisse, Margaretham, & Agnetem; quarum etiam meminit *Morery. voc. Hesse Famil. & Cluver: Descript: Germ.* tum alii: & quidem Margaretham Henrico Duci Brunsvicensi; Agnetem Othoni Domino de Gottingen, desponsatam. Insuper addunt, auctũ fuisse Henricô, & Fridericô, Filiis; Annâ item & Elisabethâ, atq; alia Agnete, Filiabûs: sed florem hunc omnem pulchræ Sobolis, ultra ætatem teneram vernare, mors invida non permisit.

Ipse verò Hermannus Landgravius, obijt 24. Maij an: 1413. *Lexic. At Morery. cit:* in annũ 1714tum fata ejus incidisse scribit.

LUDOVICUS I.
LANDGRAVIUS HASSIÆ.

LUDOVICUS I. Landgravius Hassiæ, natus Annô 1402., successit Patri Hermanno, dictus, Pacifi-

PACIFICUS. Sed cùm minorennẽ reliquiſſet Patris obitus; ſub tutela Principum, & Statûs, educationem accepit, ita verò minorem Principe, ut nec oculô nôſſe literas, nec manu formare doceretur. Nihilominus Haſſiam deinde ità gubernavit Landgravius, ut ſuâ regendi prudentiâ, ubiq; clarus, & æſtimatiſſimus,invitari meruerit,an: 1440. poſt obitum Alberti II Cæſaris, ad Imperij Dignitatem; ſed ea fuit animi moderatione, ut recuſâſſet. Studiîs verò diligentibûs in ſuæ ditionis amplitudinem augendam intentus, an.: 1453. Comitatus Ziegenheim, & Nidda, adjunxit Haſſiæ, poſt mortem Comitis Joannis.

Obijt an: 1458: *juxta Morery* 1453. relictîs ex Conjuge, Anna Margaretha, Friderici Ducis Saxoniæ, Filia, tribûs Filiîs: Ludovico II. Henrico, & Hermanno. *Munſter: cit. & Morery addunt*, Filiam quoq; illi fuiſſe, Eliſabetham, Joanni de Naſſau, Comiti de Welburg nuptam.

Et Ludovicum equidem II, cognomentô LÆTUM, quanquam jura primigenia totius Landgraviatûs Dominum volebant; noluit Henricus Frater, effecitq; ut diviſîs dominiîs, ille Caſſellam, iſte Marpurgum poſſideret; quo etiam loco lucem primam aſpexerat natus ſub annũ 1440. Ætate deinde jam thalamis pari, Annam duxit Filiam & Heredem Philippi Ultimi, Comitis de Catzenelbogen, ex qua anno 1471. genuit Wilhelmum dictum ideo Juvenem, ut diſtingveretur à Wilhel-

mo Medio, & Wilhelmo Sene, Filijs, ex ſuo Fratre Landgravio Haſſiæ, Ludovico II. procreatis. Dedit præterea Orbi Fridericum, Ludovicum, Henricum, ſpes Generis præclaras, ſed breves: nam omnes, nondum è juventa emerſos, occupavit fatum. Filiarum inſuper Pater fuerat, Eliſabethæ, ac Mathildis; quarum illa Joanni Comiti de Naſſau-Dillemburg; hæc Joanni II. Duci Cliviæ in connubium ceſſit. *ita Morery.*

At Wilhelmus ex Henrico natus, JUVENIS ille nuncupatus, annîs jam Hymenæo maturîs, Eliſabetham de Bavaria, Philippi Electoris Filiam, nuptialî vinculô ſibi devinxit; atq; annô 1489. adminiſtrationem Regionis Marpurgenſis, Comitatûs Catzenelbogenſis, Dietzenſis, Ziegenheimenſis, & Niddenſis, adeptus eſt. Eos verò ſucceſſus plurimùm debuit Hermanno, Patris ſui germano Fratri, Archiepiſcopo illi, & Electori Colonienſi; illi ſub Infula Heroi Strenuiſſimo, Defenſoriq; acerrimo Nuitz, adverſùs Ducem Burgundiæ, Carolum, dictù, Temerarium. Hic enim Præſul operoſiſſimè ſudavit, nec alſit, donec ſortem Dominii evicisſet Wilhelmo JUVENI. Juvenis erat? hoc ſatis fuit, ut fortunam haberet amicam. ſed Lucinam ſibi faventem reddere nequivit, nec prolem ab illa heredem accipere: quo factum, ut capti Principatûs regimen, ad Wilhelmum, agnomine MEDIUM, Ludovici II. Landgravii Filium tranſiret. *Morery.*

LU-

LUDOVICUS II.
LANDGRAVIUS HASSIÆ.

LUDOVICUS II. Landgravius Hassiæ, LUDOVICI I. Filius Major natu, cognomentô LÆTUS, successit Patri. Unum illum totius Landgraviatûs Dominum faciebant Pacta Domûs Hassiacæ, decreta ab Othone Landgravio, Filio Henrici I., PUERI dicti, statutaq; an: 1311. Sed Fratris Henrici fortis contentio, eò res adduxit, ut ditio penes duos esset. Sibi itaq; retinuit Cassellam, cessit Marpurgum Henrico, ùt paulò ante innuimus. *ex Morero.*

Duxerat Ludovicus II. Mechtildem Wurtenbergensem, Filiam Ludovici, Comitis Wurtenbergensis. Genuit ex ea Wilhelmum, SENEM dictum, qui an: 1483. cum Anna, Filia Wilhelmi Ducis Brunsvicensis, contraxerat maritum fædus, ex illaq; suscepit Elisabetham Filiam, desponsatam primùm Ludovico, Palatino Bipontino; subinde Georgio de Simmeren. Tum Mathildem luci dedit, Uxorem olim Cunonis, Comitis Tecklenburgensis. Postea Catharinam, desponsatam Adamo, Comiti de Beichlingen. Hanc demum secutæ ad cunas, Anna, & Mathildis altera, quibus teneros ultra annos vivere negatum. Wilhelmo huic curia, sedesq; fuit Calisijs: quem tandem annô 1515. humana linquere mors còégit, nulla progenie mascula donatum à natura. *Munster. Morery. voce Hesse. Famille.*

Præterea Ludovicus II. de ſe Patre, alium Wilhelmum Filium, dictum Medium, protulit, qui *juxta Morery.* natus eſt an: 1468. & *juxta Munſter,* Curiam ſuam habuit Spannenbergæ, primuſq; ſucceſſerat Wilhelmo Juveni, ex Henrico, Fratre Patrîs ſui, Ludovici II. genito; qui tandem, Haſſiæ Univerſæ egit Landgravium, præ Wilhelmo Fratre, etſi Seniore natu. Quanquam enim Ludovico II. Patri Landgravio, ſuccedere Wilhelmum, dictum Seniorem, jura cunarum priora volebant; mentis tamẽ poſſeſsio minus firma poſuit obicẽ. Quare Paterni Landgraviatûs Regimen, in Juniorem Filium, Wilhelmum pariter, ſed appellatione Medium, hujus Nominis I. Haſſiæ Landgravium, devolutũ eſt.

WILHELMUS I.

LANDGRAVIUS HASSIÆ

LUDOVICO II, quem Lætum dixêre, WILHELMUS I.; Medius, ſucceſsit Landgravius Haſsiæ, qui primùm Friderico III. & Maximiliano I. Imperatoribus, à militari munere, & auxilio partim in Flandria, partim in Hungaria fuerat. Deinde an: 1493. locò Fratris ſui, Wilhelmi Senioris, Landgraviatûs Regimen ſuſceperat. Et quoniã poſt Henrici, Fundatoris Marpurgenſis Univerſitatis Filiũ, Wilhelmũ Juvenẽ dictũ, linea Landgraviorum Haſsiæ de Marpurg: an: 1500. defecerat; occaſione, hac, eorum Bona, toti Haſſiæ, quaſi

cor-

corpori membra, adjunxit, Landgravius unus. & solus Hassiæ Universæ. Præterea etiam Philippi dicti INGENUI, in octavum Imperij Electorem assumpti recuperavit Urbem Homburg, Umstadt, Arcem Utzberg.

Juxta Morery. Hic Wilhelmus I. natus anno 1468. primum Connubium contraxit cum Jolanda de Lotharingia-Vaudemont, Filia Friderici II. Comitis de Vaudemont, ac Jolandæ d' Anjou, ex qua Filium duntaxat unicum susceperat, de tenero ungue mortuum. Secundum Matrimonium inivit cum Anna, Filia Magni Ducis Mecklenburgensis an: 1565. *cujus & Munster* meminit, *& Morery.* Hæc illi an: 1506. Philippũ peperit, qui cognomẽ meruit Magnanimi; tandem post Patrem morte oppressum annô 1509. suîs, postquam adolevêrũt, humerîs Landgraviatum subivit. *Cluver.: Germ: Antiqu. Goldmayer. de Orig. Hass. Saur. Chron. Has. &c*

PHILIPPUS I.
LANDGRAVIUS HASSIÆ.

PHILIPPUS I. cognomentô MAGNANIMUS, Landgravius Hassiæ, Wilhelmi I. MEDIJ, & Annæ de Mecklenburg Filius, natus non procul à Castris Hassiacis, tunc urbem Palatini Rheni, Caub, obsidentibus; cujus Pater dum obijsset an: 1509., ratione tutelæ, Juvenem Principẽ, hoc; illoq; sibi vẽdicante, exortæ dissensiones. Nobilitas e-

nim Haſsiæ, amovere nitebatur Tutores, in pagina teſtatoria à Patre deſtinatos, ſubſtitutîs, qui parvam ætatem cura vigili promoverent, aliîs. Præterea Wilhelmi SENIS Uxor Anna, Filia Ducis Brunſvicenſis, nec non Haſsiæ Regentia, ſibi, ſuoq; Marito, qui Wilhelmo I. MEDIO, Fratri antea dimiſerat Haſsiam, reſtituere eandem adniſa; & jam quædam ſuæ poſſeſsioni adjecerat. Quod cum innotuiſſet Aulæ Cæſareæ, Wilhelmus SENEX, à ſua prætenſione recedere juſſus, ſuaq; in ſorte, digna ſatìs Principe, perſiſtere. Tandem Mater, Juvenis Principis, Philippi I, poſt motus varios, fluctuſq; hinc indè excitatos, ſedatoſq;, tutelam Filij obtinuit an: 1516. Quanquam ea fuit vel PUERO maturitas indolis, præcox ille vigor mẽtis ad rerum gubernacula natæ, ut non plures, quàm annos 14. náto, veniam ætatis conceſſerit Imperator, juſſeritq; frænos Provinciarum ſumere Philippum. Sumpſit enim verò anno 1518. omniſque in illo latuit pueritia; cùm ita Landgraviatûs felicitati conſuleret, quaſi ex ævo.

Mox hoſtem, ſibi inſidias ſtruentem ſenſit, Franciſcum de Sickingen, qui Darmſtadium obſederat, ac Pacta à Philippo minùs æqua extorſerat: illa tamen Imperator aliquantum mitiora reddidit, levavitq; oneribûs. Cùm verò an: 1522. idem de Sickingen Electorem Trevirenſem bellô aggrederetur; tanquam ad occaſionem ultionis convolavit Landgravius Philippus, junctîſq; armîs appetitam

Aggre-

Aggreſſoris potentiam fregit, Arcem Kronberg, vindicavit, quam denuô an: 1541, variîs ſibi oneribûs, & obligationibûs obſtrictam, dimiſit.

Hæc ſub tempora, bellum quoddam eruperat, vilius illud ſanè, niſi ipſi Nobilitatem ſuam, Dignitatemq́; præbuiſſet Philippus Landgravius. Caſtrorum ille ſummam accepit, annoq́; 1525. obſedit Fuldam, preſsit, ac cepit. Tum prælio ad Franckenhauſen, Martis locò, præſens, annîs licet, alios inter Principes, minor, animô tamen, roboreq́; major, quà exemplô ſuô, quà ſermone nihil non invictum ſpirante, exercitum animavit ad fortia, multîs potitus Triumphîs. Tandem ſub vitæ jam ad ultima declinantis finem, â Laureis conceſſit ſub Oleam; & tranquillus, Landgraviatum ſuum priſtino flori, vigoriq́; reſtituit; reſtauravit urbes, ac quædam loca munivit fortiùs, ampliavit præterea ditionem ſuam, Bonîs adjunctîs Naſſovienſibus, eòuſq́; controversîs.

Poſt hæc 31. Martij an: 1567. obiit, diviſò priùs inter ſuos quatuor Filios, Landgraviatu, hac ſorte: ut Majori natu Wilhelmo, medietas Caſſellenſis Ditionis, id eſt: Totus Inferior Principatus, cum potiori parte Comitatûs Ziegenheimenſis, & quidquid in Hennebergenſi Terra, Domui Haſſiæ accederet, illi foret, ejuſq́; Ditioni attributum. Atq́; hic, à quo Linea Landgraviorum de Heſſen Caſſel deſcendit, Wilhelmus, Punctum eſt primum, à quo Linea Landgraviorum de Heſſen-Caſſel de-

ducitur. Secundo Filio Ludovico Marpurgum aſſignavit, & quartam ejus partem; ſcilicet Principatum ad Lohne Fluvium. Unde hic Ludovicus, vigore Teſtamenti Paterni minorem poſſedit ſortem, quàm Frater ejus, natu Major, Wilhelmus; majorem, quàm Philippus, & Georgius. Primam ille lucem ſalutavit Marpurgi annò 1537.; diem obiit ſupremum 1604tô. nè in prole quidem ſuperſtes, quam ipſi nullam attulit Conſors gemina, ſive Hedvigis, Chriſtophori Ducis Wurtenbergenſis Filia; ſive MARIA, Patre nata Joanne Comite de Mansfeld. Imò nè tertiæ quoq; geniales tædæ, ſcintillam aliquam reliquerunt, quas illi (*teſte Morery.*) accenderat Hymen cum Anna Eliſabetha de Bavaria, Friderici III. Electoris Palatini Filia celebratus. *Lexic. Germ: Dillich. Chron. Haſſ. Vultejus de vita, & obitu Ludovici Senioris.* Jam Tertio Filio, Philippo, Philippus Pater tranſcripſit Rheinsfels, & Inferiorem Catzenelbogenſem Comitatum; quem *Morery* ſcribit mortuum, priuſquam ex juventa emerſiſſet.

Quarto tandem Filiorum Georgio. aſſignavit Darmſtadt, & Superiorem Catzenelbogenſem Comitatum; à quo Linea LANDGRAVIORUM de Heſſen-DARMSTADT initium ſumpſit.

Ne verò prolem hanc, aliamq;, ex Philippo, ceu de Jove Palladem, ſinè Matre ſatam arbitreris; ecce Chriſtinam Conjugem, Georgij Ducis Saxoniæ Filiam, quæ præfatos quatuor Filios, & quinq;

Na-

Natas fecundô fudit uterô; Primam Agnetem, Mauritio Electori Saxoniæ, deinde, hoc functo, Joanni Friderico Duci Saxoniæ desponsatam. Alteram Annam, Wolfgangi Comitis Palatini Bipontini Consortem: Barbaram tertiam, Georgio Duci Wurtenbergensi; atq;, post istius funera, Danieli Comiti de Waldeck nuptam: Postea Elisabetham, Christinamq;; illam in toros Ludovici V. Electoris Palatini; hanc in Adolphi Ducis Holsatiæ thalamum invitatam. *Morery.*

Hanc ultra Progeniem, (*quod Lexic. Germ. & Authores ibi cit.*) alios sex Filios genuit dictos: Natos de Hassia, Comites de Dietz, Dominos in Liesberg, & Bickenbach; qui omnes vitam cælibem in urnam intulêre.

Ut tandem Philippi I. MAGNANIMI laudes in compendium redigantur; constat Orbi, Principem illum fuisse prudentiæ insignis, Magni animi, Generosæ dextræ, infractum laboribus, & Heroicîs gestîs celebrem, Potentem sermone, & scriptîs, promptum in consilijs, amantem literarum; quem in illas animum testatus, dum Universitatem condidit Marpurgi, æternum Gloriæ & Nominis monumentum. *Thuanus. Sleidanus. Hortleder. Avila. Chytræus. Senckendorf. hist. Lu. Arnoldi hist. Eccles. part: 4. sect. 1. num: 5. Lexic. Germ. voc. Philip.*

TABULA GENEALOGICA LANDGRAVIORUM HASSIÆ

Collecta, & in hanc seriem redacta, potissimùm ex Authoribus *citatis Morery, Munstero, & ex Lexic. Germ. Aliisq;.*

Henricus I. *Landgr: Hassiæ. duxit imò Adelheidem Filiam Alberti Ducis Brunsvicensis 1258. 2dó: Mechtildem, Filiam Comitis Cliviæ, Theodorici V. 3tió Annam Ludovici Severi, Comitis Palatini Filiam.* - - -

Imô thorô

Henricus

Otho *Landgr:* Hassiæ *duxit Adelheidem Comitissam Ravensbergensem.* - - - - -

2do thorô

Joannes, *mortuus 1311. nullâ susceptâ Prole ex Elisabetha Filia Henrici Admirabilis Ducis Brunsvicensis.*

Ludovicus Episcopus Monasteriensis, qui exstructa Arce Marpurgensi & Sacello in Burgo, obiit 1730.

Imô thorô

Otho Archiepisc. Magdeburg. qui exstruxit Castrũ à se dictum: Othenstein.

Ludovicus in Grebenstein duxit Comitissam à Spanheim genuit. - - - - - - - - -

Henricus II. *Landg: Hassiæ cognomẽtô* Ferreus. *imò duxit* Friderici *Marchionis Misnensis & Landgrav. Thuring. Filiam Elisabethã. 2dò Mechtildem Filiam Theodorici IV. Comitis Cliviæ defunctam 1326.* - -

Hermannus in Nordeck.

Hermannus hic ab Othone Archi-Episc. Magdeb: factus Canonicus. Postea post Henricum II. Ferreum, Hassiæ Landgravius. Duxit imò Joannam Comitissam de Nassau-Saarbrücken improlem 2dò Margaretham Friderici III. Burggravij Nieremberg Filiam. - - - - - -

Henricus, *qui duxit Mechilam Dioterici Comitis Cliviæ Filiam, obiit ante Patrem sine liberis.*

Otho *dictus: Jaculator duxit ejusdem Comitis Cliviæ alteram Filiam Elisabethã obiit etiam abs Prole 1352. Patre adhuc vivente.*

Juditha, juxta Quosdam mortua in teneris. at juxta alios desponsata Othoni Liberali, *Duci Brunsvicensi.*

Adelaidis desponsata Casimiro III. Magno, Regi Poloniæ.

&c. vide Tit. Henric. II.

Ludovicus I. *Landg. Hassiæ natus 1402.* Pacificus *dictus, duxit Annam Margarethã Friderici Ducis Saxoniæ Filiam.* - - -

Margaretha desponsata Henrico Duci Brũsvicensi.

Agnes nupta Othoni, Domino de Gottingen.

Juxta alios etiam.

Henricus, *Fridericus* — *mortui in teneris.*

Anna, *Elisabetha*, *Agnes alia.* — *defunctæ in teneris.*

Ludovicus II. *Landgrav. Hassiæ cognomẽtô* Lætus. *duxit Mechtildem, Filiam Ludovici Comitis Würtenbergensis.* - - -

Henricus *duxit Annam Filiam & Heredem Philippi ultimi Comitis Catzenelbogensis, genuit.* - -

Hermannus *Archi-Episcopus & Elector Coloniensis, qui Nuitz adversus Ducem Burgundiæ Carolum, dictum: Temerarium, forliter propugnavit defunctus 1508.*

Wilhelmus *dictus* Senex *qui duxrat Annã Wilhelmi Ducis Brunsvicensis Filiã.*

Wilhelmus *dictus Medius natus 1468. successit Landgr: Hassiæ* Wilhelmo *Juveni Filio Fratris Patris sui Ludovici II. duxit Jolandam de Lotharingia Vaudemõt, Filiam Friderici II. Comitis de Vaudemõt Jolande d' Anjou. 2dò Annam Filiam Magni Ducis Mecklenburg. ex qua genuit.* - -

Wilhelmum *dictũ Juvenem qui Landgravius Hassiæ, obijt nulla relicta posteritate ex Elisabetha de Bavaria Philippi Electoris Palatini.*

Fridericum, *Ludovicum*, *Henricum* — *qui obijêre juvenes*

Elisabetham Conjugẽ Joannis Comitis de Nassau-Dillemburg.

Mathildem desponsatam Joanni II. Duci Cliviæ.

Elisabethã desponsatã imò Ludovico, Palatino Bipontino. 2dò Georgio de Simmeren.

Mathildem, quam Cuno Comes Tecklenburgensis duxit.

Catharinã desponsatã Adamo, Comiti de Beichlingen.

Annã, *Mathildẽ.* — *quæ defunctæ in teneris.*

Philippum; *qui Landgrav: Hassiæ appellatus:* Magnanimus: *duxit Christinam Georgij Ducis Saxoniæ Filiam.* -

Wilhelmus II. *Apex Lineæ* Landgraviorum *de Hessen-Cassel.*

Ludovicus

Philippus.

Georgius I. *cognomento Fortunatus aliis:* Pius *imum Pũctum Lineæ* Landgraviorum *de Hessen-Darmstadt.*

Agnes desponsata imò Mauritio Electori Saxoniæ. 2dò Joanni alii Duci Saxoniæ.

Anna uxor Wolfgangi Comitis Palátini Bipontini.

Barbara desponsata Georgio Duci Würtenbergensi, deinde, Danieli Comiti de Waldeck.

Elisabetha, Conjugata Ludovico V. Electori Palatino.

Christina uxor Ducis Holsatiæ

Præter álios 6. Filios dictos: Natos de Hassia Comites de Dietz. Dominos in Lisberg, & Bickenbach, qui omnes Cœlibes obiêre.

O

po
da
ta
ſus
Su
Pr
L
In
Ca
in
Ca
Pr
Pt
ſic
ſte

Ca
He
vi

LINEA GENEALOGICA LANDGRAVIORUM *De Hessen-CASSEL*

CASSEL, seu Kessel, Castellum Cattorum, (antiqui Populi erant Germaniæ) Cassilia, seu Cassella, Urbs in Franconia est, Metropolis Landgraviatûs Universi Hassiæ, sita ad Fuldam Fluvium, inter Marpurgum, & Paderbornam, tam loci ingeniô, quàm arte, contra adversos casus munita, defensaq; fortalitiô. *Morery voce Cassel* Sufficit illi ad gloriam, esse ipsam Solis Regiam. Principis Honoris Templum, id est, sedem esse, LANDGRAVIORUM de Hessen-CASSEL, in Inferiori Hassia, sive dicta aliter Cassula, Cassella seu Cassellæ: quam denominationem, *Wilhelmus Dillich. in Chronic. Hassiæ, & Lexicon. Germ: edit.* 1722, à Casuarijs, vetusto Germaniæ Populo, deducit. Præterea *Franciscus Irenicus* putat, quòd Cassel sit Ptolomæi Stereontium. At *Cluverius, & Bertius.* sic appellatam arbitrantur, quod olim diceretur Castellum Cattorum.

Circa annum 1008. hoc in loco, ad subrutum Castellum, exiguum nonnisi stabat Prædiolum; sed Henricus Raspo Castellum id collapsum è casu vindicavit, circa annum 1152. ex cujus opposita regi-

regione Urbs Wolffanger dicta; ſeſe poſuerat; ſed tandē per incendiū atrox deleta, in villam abijt. Cōtra verò Caſſella ſtudiô LANDGRAVIORUM Haſſiæ, dilatabatur ædificiîs, & ampliabatur; quem locum Landgravius Philippus I. MAGNANIMUS, munire cœpit annô 1523., jactô circa Caſtellum, ſeu Arcem, tum per ambitum Civitatis, vallô novô. Etſi autem, bellîs quibuſdam ſævientibûs, Hiſpani Caſtellum id demoliti, & faſtigiô, & tormentîs abductîs, tum cætera militiæ, bellorumq; ſupellectile exuiſſent; tamen poſthac Philippus quà ipſe, quà ejus Filius Wilhelmus II. urbem denuo in culmen repoſuit; vallîs, foſsîſq;, ac alio munimentorum genere cinxit, uſq; adeò, ut bene munitis locis annumerari potuerit.

Urbem Caſſellam Fluvius Fulda dividit in duas, Veterem & Novam Civitatem; quarum poſterior, longè amplior eſt, priore, continens in ſe Landgravialem Arcem, & Reſidentiam, Magnum Armamentarium, præter aliam ædificiorum magnificentiam. Subinde Tertia quoque pars Urbis Caſſellæ, in Monte, ubi vinea olim eminuerat, attolli cœpta eſt, diſpoſitione nova, & ordinata, ære ipſius Landgravij.

Anno 1382. & 1383. & 1400. Obſidionem paſſa, Urbs Caſſella, nunquam patuit adverſis, immunis ſemper, quàmvis illam 30. annorum ſpatiô, bella continua attererent. *Irenicus. exeg. Germ: Bertius lib: 3. rer. Germ. Dillich. Chron. Haſſ.*

Ab hac ergo urbe Caſſella, per Philippi I.

MA-

MAGNANIMI Filios, Wilhelmum II, dictum, SAPIENTEM; & Georgium I. FORTUNATUM appellatione, Landgravij Haſſiæ, primò in duas ſeſe lineas diſtinxerunt. Alij à Wilhelmo præfato dicuntur, LANDGRAVIJ de Heſſen-CASSEL; alij à Georgio I. ejus Fratre, LANDGRAVIJ de Heſſen-DARMSTADT. Mox iterum alij, à Friderico, Georgij I. Landgravij de Heſſen-DARMSTADT Filio, dici cœperunt, LANDGRAVIJ de Heſſen-HOMBURG: ac alij, ab Erneſto, Mauritij de Heſſen-CASSEL Filio, LANDGRAVIJ de Heſſen-RHEINSFELS.

WILHELMUS II.
LANDGRAVIUS de Heſſen-CASSEL.

WILHELMUS II., Primus apex, Primumq; Punctum Lineæ Landgraviorum de Heſſen-CASSEL, ob prudens ſuum Regimẽ, ac eruditionem, cognomentô, SAPIENS; cũm & variarum lingvarum, & ſcientiæ Mathematicæ, bene gnarus eſſet, adeò, ut etiam in Publicum ediderit Obſervationes Aſtrologicas, præter alia opera ejuſmodi.

Natus eſt 24. Junij an: 1532. Patre Philippo I., quô interea alibi diſtentô, Wilhelmus, Landgraviatûs Gubernia moderatus; in cujus Adminiſtrationis præmium obtinuit à Patre medietatem Landgraviatûs Haſſiæ, id eſt Inferiorem Principatum,

Comitatum Ziegenheimensem, Comitatum Itter; residebatq; Cassellæ, quam denuo munivit fortiùs. An: 1571. Comitatum Plesse, hereditario jure possedit; at an: 1582. in Comitatu Hoya, sorti suæ addidit Anberg, Vecht, & Freudenberg. Annô sequenti, dum Frater ejus Philippus, Rheinsfelsæ fatîs decessisset, adeptus est medietatem ejus bonorum. Nec non annô eodem, postquam obijssent Comites de Hennenberg, urbem, & medietatem Smalcaldicæ ditionis, dominio suo adjecit,

Ire per totam WILHELMI Landgravij gloriam, quanquam sit iter arduum, quia ingens, nec nisi longo scribendi cursu pervagandum; illud tamen ex innumeris rectè factis unum, nefas est præterire calamô, & tametsi recens semper apud Polonam famam beneficium, non vocare ad memoriam paginæ. Pronior animus in MAXIMILIANUM, per scissa vota, electum in Sarmatiæ Soliũ, rapuerat Gedanum, aliàs Dantiscum, Urbem Poloniæ in Prussia celeberrimam, ut arma contra STEPHANUM BATHOREUM, jam sub diademate Regem, extulerit: sed ad Derschau, sive Dersavam sensit, in Jovem fulminantem vires suas surrexisse. Quid multîs? Cæsæ rebelles copiæ, deletæq; Castrum Grebin captum, præsidiali milite gladium passo victorem. Ivisset latiùs laureata Regalis ira; nisi, præter Serenissimos, Saxoniæ ac Brandeburgiæ Principes Electores, WILHELMUS LANDGRAVIUS, placidam Urbi Majestatem

STE-

STEPHANI reddidiſſet. Sui ille interventûs Dignitate, Herculi clavam quaſi extorſit, dum Principe fecit ſtudio, nè ſupplices, jamq; in pedibus Caput adorantes Coronatum feriret. Ergo ſtans hucuſq; Gedanum, Coloſſus eſt WILHELMI Rhodiô nobilior; quia WILHELMUS quoq; Sole major, qui, ſubmota nube ferrea, Regiam Serenitatem Urbi placatam præſtitiſſet. *P. Joan: Kwiatkiewicz Societat: JESU in Annal: Polonicis ad an:* 1577. *n.* 9.

Obijt tandem multîs per Germaniam geſtìs clarus, 25. Aug: annô 1592. reliquitq; ex Conjuge Sabina, Chriſtophori, Ducis Wurtenbergenſis Filia, Tres Filias, & unum Filium Mauritium, natum 25. Maij An: 1572., qui ei ſucceſſit in Landgraviatum. *Dillich. Chron. Haſſ. Biedenkopff. Genealog. Landg. Haſſiæ. Spener. Imhoff. lib.* 4. *cap.* 7.

Morery. voc. Heſſe. addit. Wilhelmi Filium, Chriſtianum, defunctum in teneris. At Filias, Annam Mariam, deſponſatam an: 1589. Ludovico Comiti de Naſſau, Hedvigem, Erneſto Comiti Holſatiæ: Chriſtinam an: 1595. Joanni Erneſto, de Saxen-Eiſenach: alias quoque ſex numero Filias non ultra ætatem teneram annos produxiſſe.

MAURITIUS
LANDGRAVIUS de Heſſen-CASSEL.

MAURITIUS Patri ſucceſſit Landgravius de Heſſen-CASSEL, natus 25. Maij 1572. unus è

Sapi-

Sapientiſſimis Germaniæ Principibus. Surrexerant in illum aliquæ controverſiæ, & lites juris, ratione Bonorum Patrui ſui, Ludovici Marpurgenſis, defuncti an: 1694. ſed conſederunt, rebûs compoſitîs.

Primîs tædîs affulgentibùs an:1593. *juxta Morery.* Agnetem deſponſavit, Joannis Georgij Comitis de Solms Filiam, quæ obijt 1602. Tum annô ſequentî 1603. duxit Julianam, Joannis MEDIJ dicti, Comitis de Naſſau-Dillemburg Filiam, quæ obijt an: 1643. Ex harum connubiò 18. ſuſcepit Proles: inter has, memorabiles ſunt, Otho, Major natu, genitus ex Prima Conjuge Agnete, Comitiſſa de Solms, die 23. Decembr: 1594. Hic, poſtquam ab omni ſcientia inſtruxiſſet mentem capaciſſimam, Peregrinationem numeroſo cum comitatu ſuſcepit in Hollandiam, dein in Angliam; ubi Oxfordiam & Cambrigde inviſit, à Rege Angliæ Jacobo, plurima ſuî æſtimatione & honore exceptus; pari, dum rediret, Bruxellîs ab Archi-Duce Alberto, humanitate & benevolentia habitus: deinde an: 1605. Adminiſtrator Abbatiæ Hirſchfeldenſis, nominatus eſt, atq; an: 1612. Electioni & Coronationi Cæſaris MATHIÆ intererat. Annò verò ſequenti, in LOCUM-TENENTEM per Superiorem Haſſiam, à Patre eſt conſtitutus: â quo, an: 1615. cum alijs Fœderatis miſſus eſt in Galliam, ad plaudendum Ludovico XIII. Regi Galliarum de Nuptijs celebratis. Interea illi, quam acceperat an: 1613., rapuit Conjugem Catharinam Urſulam

ſulam

ſulam, Marchionis Badenſis Georgij Friderici Filiam. Quare ſecundô vinculô, an: 1617: duxit Agnetem Magdalenam Joannis Georgij, an certè (*ut Morery vult*) Joachimi Erneſti Principis de Anhalt, Filiam. At dū ipſemet eodē anno puſtulîs, quæ ætati teneræ pepercerant, laboraret, & 7. Aug: manè, circa horam 4tam, latratum canîs, ſuam turbantis noctem, ſclopetô vellet compeſcere; infelix vulnus, quodq; illi ademit vitam, paſſus, deceſſit, nulla relicta Prole. *Lexic. Germ. voc. Otho.*

Secunda Mauritij proles, WILHELMUS erat III, qui continuavit poſteritatem LANDGRAVIORUM de Heſſen-CASSEL.

Tertius Philippus, natus 1604. qui belli fortunam tentavit, & quæſiit, primùm in Caſtris Hollandorum, dein Hiſpaniæ, tandem Regis Daniæ, ac demum Domûs Auſtriacæ. Sed 7. Aug: (*juxta Morery. 27. Aug.*) annô 1626, à Tillicis in Prælio Religionis occubuit.

Quartus, Hermannus, natus an: 1607. poſſederat Rotenberg ad Fuldam, fixô ibidem domiciliô. Obijt 25. Mart: 1685. ſinè ſtirpe, quàmvis duas Conjuges, primò Sophiam Julianam, Chriſtiani Comitis de Waldeck, Filiam, mortuam dein an: 1637.; tum Cunegundem Julianam, Joannis Georgij, Principis de Anhalt Filiam ſibi devinxerat. *Morery voce Heſſe. Famille.*

Quintus, Mauritius ad faſcias datus 1614. (*juxta*

 ta

ta Morery cit. an: 1600. 14. *July*) vitam citiùs ad urnam perduxit, quàm ad thalamum [mortuus *juxta Morery cit:* 11. *Aug. an.* 1612.

Sextus, Fridericus diem aſpexit 1617., Eſchwegæ poſt hac ſuæ & Dominus, & Domeſticus. Manum militarem dederat Regi Sveciæ, CAROLO GUSTAVO, Sororio ſuo; à quo expeditus cum exercitu in Poloniam, ad Koſtin, Pruſſiæ oppidum, ex vulnere finivit vitam 24. Septembr: an: 1655. Una Filiarum ejus, Chriſtina, nata 1654. (*Lexic. Germ. voc. Caſſel.*) nupſit Ferdinando Alberto, Duci Brunſvicenſi an: 1667. Deceſſit verò 17. Mart. an: 1702. Altera Juliana Virum nacta Joannem Mechant L. Baronem de Lilienburg in Hollandia, ubi & vixit an: 1693. Tertia Charlotta Orbi data 1653. deſponſata an. 1673. Auguſto Juniori Duci de Saxen-Halle: poſt cujus mortem, Vidualem vitam an. 1679. Joanni Adolpho, Comiti de Tecklenburg, ſociavit. Deſiit vivere *Bremæ* 1788. *Hæc Lex. Germ: At Morery*, non plurium, quàm unius Filiæ Friderici meminit Chriſtinæ, ſuprà memoratæ.

Septimus Mauritio Filius, annô 1622. acceſſit, Chriſtianus, quem *Morery*, pariterq; Philippum, annîs adoleſcentibûs mortuos refert.

Octavus, ERNESTUS, natus 1623. propagavit Proſapiam, & ſtipitem Familiæ LANDGRAVIORUM de Heſſen-RHEINSFELS.

E Filiabus Mauritij, præcipuè quatuor decus pul-

pulcherrimum cum Tædis Genialibus intulêre Familijs varijs; ſcilicet de Mecklenburg-Guſtraw, Anhalt-Deſſau; Salm-Reifferſcheid; & Lippe-Buckeburg. (*Dillich. Chron. Haſſ. Biedenkopff Genealog.*) Harum verò, aliarumq; nomina dedit legenda *Morery*, dum ſcripſit, Agnetem natam 1606, deſponſatam an: 1623. Joanni Caſimiro Principi de Anhalt; exſtinctam 1650. Julianam, editam 1608; ſepultam cum flore Virgineo an. 1628. Sabinam an: 1610. in lucem; in umbram tumuli, an: 1620. datam. Magdalenam, Uxorem Erici Adolphi, Comitis de Solms. Mauricettam natam 1604; defunctam 1633. Sophiam, 1615. progenitam; nuptam 1644. Philippo Comiti de Lippe. Porro Chriſtinam & Eliſabetham, mortuas proxima poſt cunabula.

Ipſum quoq; Mauritium Landgravium Eſchwegæ 15. Mart: an: 1632. involverunt fata.

WILHELMUS III.
LANDGRAVIUS de Heſſen-CASSEL.

WILHELMUS III. *juxta Morery voce Heſſe Famille.* dictus, CONSTANS, LANDGRAVIUS de Heſſen-CASSEL, per Germaniam, Pace belloq; clariſſimus PRINCEPS, Patre Mauritio Landgravio de Heſſen-CASSEL, Matre Agnete, Joannis Georgij, Comitis de Solms Filia, natus Caſſellæ 14. Febr: an: 1602.

N2 Ille

Ille an: 1620. ſub Poteſtate ſua, & Regimine militari utpote Colonellus, habuit 2000. Peditatûs, & 300. Equitatûs. Dum autem an: 1623. Pater ejus excuteret Decretum Cæſareum, in puncto Marpurgenſis ſucceſſionis, & Urbis Corbach, latum; ideoq; Imperatorij Roboris obſidione in Caſſel teneretur; Wilhelmus hic, Filius, Landgraviatum, turbulento illo tempore gubernandum ſuſceperat an: 1627. Patre, illum ſibi cedente. Quo etiam annô, cum ſuo Patruele, Georgio de Heſſen-Darmſtadt Landgravio convenerat, & pactus eſt concordiam, cujus robore non ſolùm illi Comitatum Marpurgenſem, ſed etiam pro uſufructu ex eo ab an: 1604. per Patrem percepto, Comitatum Nidda, & Catzenelbogenſem tradidit.

Et quia Cæſar ea de cauſa, offenſos illi animos ſumpſerat; Sveticas partes amplecti ſtatuit, & ſequi. Et quidem an: 1631. ipſe ad Regem Sveciæ tranſiit, pactuſq; cum eo fædus bellicum adversùs Imperatorem. Quod quàm primùm Cæſari innotuit; Generalis ejus Tilly cum exercitu in Haſſiam movit; ſed Svetica Potentia illum ſubſiſtere, gradumq; propè referre coëgit. Interea Landgravius WILHELMUS obſedit, ſtrinxit, cepit Wetzlar, & Hoxter; ac totam Abbatiam Fuldenſem vî & armîs occupavit. Etiam Hirſchfeld ſibi ſubegit: cui quanquam ſe Comes de Gronsfeld oppoſuiſſet; tamen etiam in Veſtphalia prævaluit, triumphavit.

Ad

Ad exitum anni hujus, Regi Sveciæ Comes ivit, dum iſte Rhenum tranſire, Hiſpanoſq; propulſare decreviſſet. Subſecuta dein interceptio Moguntij, & Oppenheim. Annô 1633, copias ſuas in Brunſvicenſem Ducatum infudit, ubi ſibi Urbes ſubegit Gottingen, Minden, Stadtbergen, & alias. An: 1633. reliquit pro Præſidio Generalem-Lieutenant, Holtzapffel; profligavit Gronsfeldianum exercitum; expugnavit iterum Stadtbergen, ac Dortmundam, Kosfeld, & Paderbornam; miſitq; memoratum Holtzapffel, Georgio de Luneburg in ſuppetias, & auxilium militare, qui juncto robore cum Campi-Mareſchalco Kniphauſen, 28. Maij de prælio cum Cæſareis, ad Hameln, triumphârunt: quo factum, ut urbes, Lipſtadt, Ham, Unna, & Soeſt recuperaverit Ecce ſed breves fortunæ Favonios, & pœne citiùs reflantes, quàm flaverunt! Dum enim an: 1634. Rex Galliarum, cum WILHELMO fædus quodpiam componeret; interea exercitus ejus, ſub Generali Dalwig, ùt belli fert alea, infeliciter cum Cæſareis copijs præliatus, fata poſt ſe traxit urbium, Ham, Unna, Luunen, & aliarum, quæ rurſus ad hoſtem tranſierunt. Quoniam verò obtentus ad Nordlingen bellicus triumphus, vires Imperatorias multùm erexerat; demolitus eſt ipſe Stadtloo, & alia loca in Veſtphalia, nè prædam hoſtilem auxiſſent. Tum ſuarum partem copiarum ſub Generalis Holtzapffel regimine, Belgis in auxilium ſubmiſit, qui cum Principe Oraniæ, militiam conjunxerat: Sed urgente

Regni Sveciæ Cancellario de Oxenſtirn, revocata greſſum retulit. Cœpit interim, anno 1635. Pragenſis Tractatus, diſſidia compoſiturus, agitari, cujus ſucceſſui ut intereſſet Landgravius, invitatus eſt. Quàmvis autem pronos in pacem animos gereret; conſultiſſimum tamen duxerat, bellicum cũ Svecia fovere fædus in Cæſarem; quaſi, miſſa in longum cogitatione, vidiſſet, ſeu Pragæ inchoata, ſeu poſt ceſſationem, iterum Caſſellæ, per Legatum Cæſareum Griesheim reſumpta pacis conſilia, citra felicem exitum deſitura. Sic evenit: nam in Puncto Aſſecurationis conventum non eſt: hinc rurſus cum Sveciæ Rege amicitiam federis innovavit ad Munden. Cum Galliis quoq; Pacta alia cõcluſit, quorum vigore liberavit Hanau à Cæſareorum permoleſta obſidione.

Poſt hæc Cæſareus Generalis Gotze WILHELMUM forti adeò manu perſecutus, ut ſe & Exercitum uſq; ad Belgij Fines, receperit; veneritq; Hagam ipſe, cui Status Hollandici 80000, Imperiales dederunt mutuos, ac præterea permisêre liberum iter exercitui ejus in Oſt-Friſiam circa an: 1637; ubi etiam brevi pòſt tempore, ad ſuprema deductus obijt in Urbe Lier 21. ſeptemb: hîſce, ſuper conclavis parietem, cretâ formatîs characteribùs: HOMO DISCE MORI. At Caſſellæ, tumulum accepit anno 1640.

Teſtamentô ſuô voluit, ſanctumq; reliquit,
ut

ut ejus uxor, relicta vidua Amalia Elisabetha (quæ *juxta Morery cit.* ævi sui planè Herois erat) Comitis de Hanau-Muntzenberg, Philippi Ludovici Filia, donec ad pares gubernio annos Wilhelmus IV, unicus Filius perveniret, tutelam illius sustineret; quam 12. annis traxit. Sub tempus adversùs Cæsarem cœpta per Maritum bella, animô ultra sexum majore promovit, donec Tractatus Monasteriensis annô 1648. conclusus finem imposuisset præliis. *In Lexic. Germ. voc. Wilhelm. pag.* 768. *col.* 1. *Burgold. disc. ad instr. pac. Theatrum Europæ. Puffendorf. de reb. Svec. Ludolph. Schaubuhne der welt.*

Hæc illa Amazon est, quæ armîs felicibûs extulit, terras Hassiæ, easq; anno 1648. per Tractum Monasteriensis Episcopatûs, & Abbatiam Hirschfeldensem extendit latiùs: pluribûs etiam Præfecturîs, ac Urbe Marpurgensi vindicata; Territoriô de Geblingen receptô, propagavit. Reintelen, ad fluvium Weser, fortiorem fecit: Munivit validiùs Ziegenheim, ejusq; fines protulit: alios insuper tres Districtus, impositô illis titulô Comitatûs, sibi, & Hassiæ adjecit. At quæ ità Principatum auxit, vitæ suæ annos amplificare non potuit, in tumuli angustias compulsa anno 1652. Author est *Morery voc. Hesse*, præter Wilhelmum IV, quinq; illam Filios; totidem, vel certe quatuor Filias enixam: Mauritium, Wilhelmum, Philippum, Adolphum, Carolū, omnes in infantia, hi, illæq; decessêre, præter Æmilam, natam an: 1626. despon-

ſatam 11. Febr. an: 1648. Henrico Carolo, La Trimouille, Principi Tarentino. Nec non Charlottam, natam 1627. deſponſatam 1650, Carolo Ludovico, Comiti Palatino Rheni, Electori Imperij. *ita Morery.*

WILHELMUS IV.
LANDGRAVIUS de Heſſen-CASSEL.

WILHELMUS IV. LANDGRAVIUS de Heſſen-CASSEL, natus an: 1629. 23. Maij. Et quia Pater ſuus fatis ann: 1637. raptus, minorennem reliquerat; ſub Matris Amaliæ Eliſabethæ, Comitiſſæ de Hanau-Muntzenberg, uſq; ad competentes annos, tutela vixit, eâdem Adminiſtrationem Landgraviatùs ſuſtinente. Illa cum ſæpiùs à Ferdinando III. Imperatore (quoniam ejus Maritus tractatui Pragæ an: 1635. agitato, non acceſſerat) requireretur, ut illi ipſa accederet; nunquam in vota pertrahi poterat. Imo inijt an. 1639. Dresdæ, cum Miniſtro Galliarum, Rudolpho de Amontot, & Duce Georgio Friderico Auguſto; atq; Georgio, Duce Brunſvicenſi & Luneburgenſi, Mundæ ad Verram fluvium, fœdus aliud bellicum, juſſitq; ſuum exercitum hucuſq; in Oſt-Friſia moratum, ſub Generali-Lieutenant, Petro Melandro (qui dein Cæſareo exercitui præfuit, dictus, Comes de Holtzapffel] Gallicis & Sveticis, ac Braunſchweig-Luneburgenſibus copijs conjungi, atq; incurſare Caſtra Cæſarea, ad Saalfeld, & Fritz-

lar

lar, ſub Archi-Duce Leopoldo Wilhelmo de Auſtria: poſt quæ, ſedes belli, in Bonis Wilhelmi IV. fixa eſt.

Mater quoq; ejus, cum an: 1627. inito inter ſuum Maritum, & Georgium Landgravium de Heſſen-Darmſtadt, tractatu, ſuper Landgravij Ludovici Haſſiæ, ſucceſſione, ſe læſam, & affectam injuriâ putaret; dedit in publicum ſuas prætenſiones, & manifeſtationem contra ejuſmodi Tractatum. Occupavit Butzbach, & Marpurgum: qua de cauſa, Landgravius Georgius, Cæſaris copias in auxilium ſuî accivit, recepitq; Butzbach, ac belli campus, in Wilhelmi hujus Ditionem translatus eſt, dum non ſolùm Cæſarei, & Electoris Bavarici, ſub Regimine Comitis de Holtzapffel, & Gronsfeld, exercitus, ſed etiam in ejus ſuppetias advocatæ Sveticæ & Gallicæ copiæ, ſub Mareſchalco de Turenne, & Campi-Mareſchalco Wrangel eò ſe transtulêre. Nihilominus arx Marpurgenſis, generosîs armîs Colonelli de Stauffen, ſuperavit adverſa, nec patuit hoſtili robori.

Æſtuabant bella hæc, uſq; ad Monaſterienſia & Oſnabruckenſia Pacis Fœdera; ad quæ paciſcenda etiam Vidua Landgravia Mater Wilhelmi ſuos Legatos miſerat; auxiliôq; Gallicô & Sveticô, Abbatiam Hirſchfeldenſem, præter alios Diſtrictus in Comitatu Schaumburgenſi, hæreditaria vindicatione occupavit: ſed pro priori, initô

 an:

an: 1648. per interpoſitionem Ducis Erneſti de-Saxen-Gotha, cum Georgio Landgravio Haſſiæ, fœdere reconciliationis, vigore cujus, Marpurgum, & Comitatus Inferior Catzenelbogenſis, Filio ejus Wilhelmo ceſsêre.

Tandem poſt omnia hæc Pacta, Wilhelmus hic, iter arripuit & Peregrinationem in Galliam, an: 1646. diſſimulatâ Perſonâ, aſſumptoq; nomine, Comitis de Nidda. Bremâ, Oldenburgô per Veſt-Friſiam & Hollandiam, Pariſios adijt, ibiq; primùm, poſtquam jam totum Galliarum Regnum luſtrâſſet, ſe LANDGRAVIUM de Heſſen-CASSEL palam fecit, ubi à Rege ſplendido honore exceptus.

Ab Orbe tandem extero, an: 1648: Caſſellam redux, felicibûs Tædîs, anno ſequenti duxit Hedvigem Sophiam Georgij Wilhelmi, Electoris Brandenburgenſis Filiam. Regimen verò ſui Landgraviatûs ſuſcepit an: 1650., obtinuitq; tam ſuper Bona jam olim poſſeſſa, quàm etiam ſuper acquiſita à Cæſare Ferdinando III., per ſuos Legatos Feudum ſibi tranſmiſſum.

Cum Sveciæ Regno, & Ducatu Brunſvicenſi, Luneburgenſi, an: 1652. inijt fædus defenſionum; reſtauravitq; an: 1653. Univerſitatem Marpurgenſem, cujus ſolennitati, & Renovationis actui ipſe adfuit, receptîs ejus in ſuî Gratiam Magiſtris. Acceſſit etiam fœderi, inter Regem Galliæ, & Sveciæ,

&

& quoſdam Electores Germaniæ, an: 1658. ad triennium ſancito; miſitq; ſuum Conſiliarium. Joannem Gaſparem de Donninberg, an: 1660. in Galliam, quò Legatô iterum fœdus renovatum voluit ad alterum triennium. Devenit deinde in graves controverſias ratione communis Poſſeſſionis, Diſtrictûs, & Urbis Umſtadt, bellô dirimendas, niſi negotium tranquillîs ſtudiîs tranſegiſſent Mediatores nonnulli.

Poſt hæc: dum an: 1663. Caſſellâ diſceſſiſſet ad Hoſpitale magnum, Hayne dictum; atque illic, in Gratiam Chriſtiani Ludovici, Ducis Brunſvicenſis, Luneburgenſis, venationis inſtituiſſet diverſionẽ; via in ipſa, tentatus morbô, eademq; nocte apoplexiâ tactus, manè ibidem obijt in Hoſpitali Hayne die 26. Julij an. 1663.

Filios reliquit, Wilhelmum, natum 21 Junij an: 1651: ſed quem Pariſiîs anno 1626. mors ſuſtulit ante ſuſceptum Regimen: quod proindè devolutum eſt in Fratrem Carolum, natum 3. Aug: an: 1654. LANDGRAVIUM de Heſſen-CASSEL. Tertius Philippus, natus 14. Decembr. an: 1655; manſionem fixit in Philippsthal: mox Kreutzbergæ ſibi arcem exſtruxerat, dictam à ſuo Nomine, Philippsburg. Hic ſibi deſponsârat an: 1680. Catharinam Amaliam, Caroli Othonis, Comitis de Solms-Laubach Filiam, ex qua ſuſcepit Wilhelminam Hedvigem 9. Octobr: 1681. natam, at mortu-

am 6. Junij 1699. Carolum item 23. 7bris 1682. progenitum: Amaliam prognatam 22. Febr. 1684.: Postea Amænam, 15. Mart. 1685. luci planè ostensam, quia insequentî annô occubuit 1mâ Aprilîs. Ulteriore cunarum ordine, Philippum 31mâ Julij 1686; Fridericam Henriettam, 16. Julij 1688; Wilhelmum 2. April. 1692.; et Sophiam, 6. April: 1695. pignora in terras edita suscepit. *Morery voce Cassel. col.*

At nondum omnem Wilhelmi IV. progeniem recensui; nondum adesse vidi Georgium in cunis repositum 20. Mart: an. 1658. Atq; utinam diutiùs oculos implevisset! Verùm illis, & Orbi sese subduxit, pertractus in urnam 4tâ Julii 1674. Post illum ad fascias venit Charlotta Amalia, progenita 27. Aug: an. 1650. Dum autem maturuit; Serenissimîs votîs 25. Junij an: 1667. expetita in uxorem à Christiano V. Rege Daniæ *cui, juxta Morery voc. Christian. V*, progenuit proles geminas, Sed eam an: 1699, communi morte è vivis ereptus, Viduam reliquit. *Ita Lexic. Germ.*

Ultima tandem, quasi periodus, clausit Wilhelmi propaginem Elisabetha Henrietta, viventibus adscripta, an. 1661: deinde an. 1679. Prima uxor, Principis Electoris de Brandenburg, postea Regis in Borussia, Friderici I.; quæ 27. Januarij an. 1683, è vivis abijt. *Lexic. Germ. voc: Wilhelm. pag: 568. col. 2. Item voc. Cassel. Chemnitz: Puffendorff. Ludolff.*

CARO-

CAROLUS
LANDGRAVIUS de Hessen-CASSEL.

CAROLUS, LANDGRAVIUS de Hessen-CASSEL, Patre WILHELMO IV. Matre Hedvige Sophia, Georgij Wilhelmi, Electoris Brandenburgensis Filia, nupta 19. Julij 1649. natus 3. Aug. an: 1654. Sub Matris tutela, ab obitu Paterno mansit, usq; dum an: 1673. Regimen Landgraviatûs adijsset. Ante Principatum, Ordinem Elephantis in Dania celebrem susceperat an. 1667: nondum tamen hoc insigne, animum ejus plenè expresserat, qui Leonem spirabat, cujus robore, Imperij Romani negotia, Anno 1688. propugnavit adversùs Galliarum Regnum. Nec minùs fortiter in consequentem annum suîs auxiliaribùs copiîs, obsidionem Moguntij promovit, ursitq; restitui Imperio. Tum an: 1682. à Rheinsfels Gallicam repulit potentiam, pectore, & gladiô defensore.

Martium deinde animum, subivit amor, sed pulcher: hinc an: 1671. die 20. Maij, Conjugem sibi delegit Mariam Amaliam, Jacobi Ducis Curlandiæ Filiam, Principis Prolis amplam Matrem. Primô illa puerperiô grande Pignus, & in Solia destinatum edidit anno 1676. Die 2dâ Aprilis, FRIDERICUM, PRINCIPEM HEREDITARIUM de Hessen-CASSEL, Regem in præsens Sveciæ POTENTISSIMUM. Bellica illi indoles de teneris, ægrè annos exspectavit maturo armis; visusq;

eſt, ætatem ipſam quaſi urſiſſe, ut velociùs creſceret, nec animum moraretur pridem in bella magnum, & Gigantibûs periculîs longê majorem quàm ut ſibi Jovi timeri poſſent. Pulverem ergo ingreſſus Martium, quòd omnem Summi Herois paſſum primo pede exprimeret, citra gradus militiæ, ſtatim venit ad culmen, factus GENERALIS Equitatûs Hollandici: mox GENERALIS-Major in Anglia; tum GUBERNATOR armatus in Clivia, & Comitatu Marchiæ, Federati deinde in Superiori, & Inferiori Rheno Exercitûs DUX ad victorias: brevì Suprema Caſſis ejus militiæ, quæ in Mantuano Ducatu, ſingulare corpus conflaverat. Tandem obſidioni Toulonenſi, belliſque in Belgio diu ferventibus præſens Martis Nomen, Numenq;, tam oculô jubens triumphos, quàm manu. Talis, tantæq; Gloriæ bellacis VIR, HIC PRINCEPS fuerat, quem antea Ordo Elephantis in Dania, Ordo item Nigræ Aquilæ in Boruſſia invitavit, ut & Inſignia ſua, & Ornatiſſimos Equites ſuos ornaret decentiùs EQUES FRIDERICUS. Sed jam Principem è tentorio Conclave vocabat Maritale: illud proinde ſubiit ducta Conſorte Ludovica Dorothea Sophia Friderici Regis Boruſſiæ Filia, quam deſponsârat 3. Julij. anni 1700. fatîs verò communibûs amiſit 23. Decembris 1705. Damnum hoc ferale vitæ ſocialis decenniô ſuſtinuit, antequam reſarciret per nova fœdera cum ULRICA ELEONORA Ludovici XI. Regis Svecorum Filia, Sorore autem Caroli XII. poſtea Sveciæ Regis, armorum famâ inclyti. Quantus au-

tem

tem Mars iste Coronatus, Soceri sui Heroicos Spiritus, virtutesq; suspexerat, clarum fecit, dum Universi Exercitus sui robur, Generalissimis ejus Imperijs, subjecit. Atq; hæc demum Clava, patentissimum omen erat Sceptri ipsius, quod manu gerit prosperrima FRIDERICUS, anno 1720. 4tâ Aprilis, in Solium Svecorum, Gothorum, & Vandalorum, Regni Suffragiîs, votîsq; omnium electus.

Si parca fuisset in CAROLUM LANDGRAVIUM natura; hic UNUS illi SERENISSIMUS FILIUS, numerum Sobolis tenacem pensavisset: interim ex indulgentia Lucinæ, auctus est Pignore ampliori; secundaq; cunarum felicitate, ex Amalia eadem suscepit Sophiam Charlottam, 16tâ Julij 1678. natam, nuptam verò 2. Jan: an: 1704. Friderico Wilhelmo Duci de Mecklenburg-Schverin. Nec sterilior erat Annus 1680., qui 12mâ Junij, in lucem dedit Carolum, Magnum illum Generalem Majorē in Republica Hollandica in Urbe Arnweiler; sed & funus magnum; quia ex vulnere ad Fortalitium Luttich accepto, occubuit.. Caroli Natalem secutus WILHELMUS, anno 1283. 10mâ Martij vitam adiit: utq; erat in Martis studia pronus, Generalem egit is apud Hollandiam. Per Wilhelmi vestigia venit in terras Leopoldus 30. Decembris 1634. progenitus; verùm Studgardæ è vivis abscessit 10. Septemb: 1704. Anno. Postea datus fasciis Ludovicus 3tiâ Septemb: Anni 1686 qui progressu ætatis, nè non totum se donâsse Marti videretur, animam quoq; in prælio ad Ramelies gesto fortiter,

 suo

ſuo ſangvine purpuream dedit. At Mariam Ludovicam Annus 1689. die 7mâ Februarii, cunis impoſuit; thalamis verò Joannis Wilhelmi Friſo, Principis de Naſſau-Dietz, Hereditarii Adminiſtratoris in Veſt-Friſia, Annus 1709. die 26. Aprilîs intulit. Sororis Principis Genethlia MAXIMILIANUS excepit 28. Maij annô 1689. nunc LANDGRAVIATUM de Heſſen-CASSEL & titulô ſuſtinens, & humerô. Iſti, nativitas Georgii ſucceſſit. Wilhelmina tandem Charlotta lineam clauſit naſcentium, Orbi donata 8. Julij 1695. *Lexic. Germ: voc. Caſſel: Dillich: Chron. Haſſ. Biedenkopff. Geneal: Landgr. Haſ. Spener. Sylloge. & alii.*

MAXIMILIANUS

LANDGRAVIUS de Heſſen-CASSEL.

nunc temporis.

QUibus è ſideribus, id eſt, Principum Parentibus, animam hauſerit MAXIMILIANUS; liquet lucetq; ex allatis proximè; ut proinde facem novam accendere opus non ſit. At neq; me in laudes ejus, ùt Orphei ſtatuā in quandam Alexandri Macedonis commendationem, ſudare cogit neceſſitas: hoc ſatìs, quòd Magni menſuram Nominis impleat. Ingentia ad famam opera MAXIMILIANUM facerent, niſi eſſet. Ex quo autem Sereniſſimus FRIDERICUS I. Regnum Sveciæ in ſinū admiſit; ejus in humeros, velut Atlas in Herculem, LANDGRAVIATUM de Heſſen-CASSEL repoſuit ſuſtentandum, ut efferret. Agit hoc magnificè, & Fratrem ita ex æquo ſupplet, ut cunîs ſit nonniſi, & Soliô minor.

LI-

TABULA GENEALOGICA LANDGRAVIORUM de Hessen-CASSEL.

Wilhelmus II. *Landgr. de Hessen Cassel. dictus:* Sapiens *natus 24 Junii 1532. editis in publicum Observationibus Astrologicis, ac alijs ejusmodi operibus, multis etiã per Germaniam Gestis clarus, obijt 1592. 25 Aug. reliquitq; ex conjuge, Sabina Christophori, Ducis Wurtenbergensis, Nata. Progeniem. - - -*

Mauritium *Landgr. de Hessen-Cassel, unum è Sapientissimis Germaniæ suô ævô Principibus. qui natus 25. Maij 1572. duxerat primùm 1593 Agnetem Joannis Georgij Comitis de Solms Filiam. 2dùm 1603. Iulianam, Ioannis Medij, Comitis de Nassau - Dillemburg Filiam, ex quibus 18 suscepit Proles, has inter est.-*

Otho, natus 7. Aug. vel 25. Decemb. 1594. duxit 1613. Catharinam Ursulam, Filiam Georgij Friderici Marchionis Badẽsis Filiam. Deinde 1617. Agnetem Magdalenã Ioannis Georgij vel Ioachimi Ernesti Principis de Anhalt Filiam, quô etiã Anno obijt 7. Aug. sinè Posteritate.

Wilhelmus III. *Landgr. de Hessen Cassel dictus* Constans *natus 1602. armis per Germaniam clarus obijt 21. 7bris 1637 duxerat Amaliam Elisabethã, Comitis de Hanau-Mützenberg Philippi Ludovici Filiam.*

Wilhelmus IV. *Landgr. de Hessen* Cassel. *natus 13 Maij 1629 duxit 1649 Hedvigem Sophiam, Filiam Georgij Wilhelmi Electoris Brandenburgensis. Obijt 26 Iulij 1663. - - - -*

Wilhelmus Princeps de Hirschfeld, Comes de Catzenelbogen Dietz, Ziegenheim, Nidda, Dominus de Schauenburg, Princeps Sacri Romani Imperij. Natus 21 Iunii 1651. obijt Parisiis ante susceptum Regimen. 1676.

Carolus *natus 3. Aug. 1654 Landgravius de Hessen* Cassel *Ordinem Elephantis suscepit in Dania 1667. duxerat 20 Maij. 1671. Mariam Amaliam, Iacobi Ducis Curlandiæ Filiam, ex qua suscepit. - - - - - - - -*

Fridericum I. *Regem svecorum modernum, qui Anno 1676 2. April. natus, in Regem assumptus 4 April. 1720. Desponsârat sibi imùm* Ludovicam *Dorotheam Sophiam, Friderici Regis Borussiæ, Filiam unicam 3. Iulij 1700. Quæ cùm obîjsset 23. Decembr. 1705. duxit 2dô thalamô 14 April. 1715.* Ulricam Eleonoram, *natam 23. Ian. 1688. Sororem Caroli XII. Seciæ Regis,*

Sophiam Charlottam, genitam 16 Iul 1678. desponsatam 2 Ian. 1704, Friderico Wilhelmo Duci de Mecklenburg-Schwerin.

Carolum natum 12 Iunij 1680. qui Generalis Major Reipublicæ Hollandicæ, obijt in Urbè Arnweiler, ex vulneribus in oppugnatione Castri Luttich, acceptis. 17 Nov: 1702.

Wilhelmum natum 10 Mart. 1682. Generalem in Hollandia.

Leopoldum 30. Decembr. 1684. progenitum. Stutgardæ 10 Decembr. 1704. defunctum.

Ludovicum in lucem datum 3. 7bris 1686 Qui 23 Maij 1706 in prælio ad Ramelies Heros occubuit.

Mariam Ludovicam genitam 7. Febr. 1688. quam 26 April. 1709. Ioannes Wilhelmus Friso, Princeps de Nassau Dietz Hæreditarius Administrator in West-Frisia duxerat, viduamq; reliquit 14 Iulii 1711.

Maximilianum *natum 28 Maij 1689 Landgravium, de* Hessen Cassel *modernum.*

Georgium, in lucem editum 8. Ian. 1691

Wilhelminam Charlottam, natam 8. Iulij 1695.

Philippus genitus 14 Decembr. 1655. duxit uxorem 1680. Catharinam Amaliam Caroli Othonis Comitis de Solms-Laubach Filiam, ex qua genuit-

Wilhelminã Hedvigem, 9. Octobr. 1681. natam. & mortuam 6 Iunij 1699.

Carolum 23 7bris 1682. natum.

Amænam, natam 15 Mart. 1685 & Anno sequenti mortuam 1, Aprilis.

Amaliam editam in terras 84. Febr. 1684.

Philippum, natum 31. Iulij 1686.

Fridericam Henriettam progenitam 16 Iulij 1688.

Wilhelmum *natum 2. April. 1692.*

Sophiam in lucem progenitam 6. April. 1695.

Georgius natus 20 Mart. 1658. obijt Genevæ 4 Iulii 1674.

Charlotta Amalia genita 27. Aug. 1650. nupsit 25 Iunij 1667. Christiano V. Regi Daniæ quã viduam reliquit 1699.

Elisabetha Henrietta genita 1661. Primi voti 1679. Consors Principis Electoris de Brandenburg, postea Regis in Borussia, Friderici *I. obijt 27 Ian. 1683.*

Mauritius
W*ilhelmus*
Philippus.
Adolphus.
Carolus.

Quatuor, aut Quinq; Filiæ, in infantia obière.

Emilia nata 1626. desponsata 11. Febr. 1648. Henrico Carolo La Trimoville, Principi Tarentino.

Charlotta nata 1627. desponsata 1650. Carolo Ludovico, Comiti Palatino Rheni, Electori Imperij.

Philippus natus 1604 imùm in Castris Hollandorum, dein Hispaniæ, tandem Regni Daniæ tum Domûs Austriacæ, Heros in Prælio Religionis occubuit 7 Aug. 1626.

Hermannus Hassiæ, Dominus in Rotenberg, natus 1607 obijt 25 Martij 1685. nullâ stirpe relictâ ex Sophia Iuliana, Christiani Comitis de Waldeck Filia, defũcta imi thori Conjuge 1637. neq; ex Cunegunde Iuliana, Filia Ioannis Georgij Principis de Anhalt.

Mauritius natus 1614 vel 1600. 14. Iul. Obijt adolescens 2. Aug. 1612. Fridericus natus 1617. Dominus de Eschvege duxerat sororem Regis Sveciæ, à quo cũ exercitu expeditus in Poloniam, in Prussiæ oppido Kostyn obijt 24. 7bris 1655. - -

Christina nata 1654. nupsit Ferdinando Alberto Duci Brunsvicensi An. 1667. Obijt 17 Mart. 1702.

Iuliana nupta Ioanni Mechant L. Baroni de Lilienburg in Hollandia, ubi etiam obijt 1693.

Charlotta nata 1653. desponsata 1673. Augusto Iuniori, *Duci de Saxen-Halle, Vidua relicta 1679. in thalami Sociam cessit Ioanni Adolpho, Comiti de Tecklen Burg, obijt Bremæ 1708.*

Ernestus, *propagavit LINEAM* Landgraviorum *de Hessen* Rheinsfels.

Filias, vide Tit. Mauritius.

Christiernũ seu Christianum defunctum in teneris.

Annam Mariam desponsatam 1589. Ludovico, Comiti de Nassau.

Hedvigem uxorem Ernesti, Comitis Holsatiæ.

Christinam, desponsatam 1595. Ioanni Ernesto de Saxen-Eisenach.

Sex alias Filias defũctas in teneris.

LINEA GENEALOGICA LANDGRAVIORUM
De Hessen-DARMSTADT

ALtera LANDGRAVIORUM HASSIÆ linea Princeps de Hessen DARMSTADT, principium habuit à Philippi I. MAGNANIMI, Landgravij Hassiæ, Filio altero; Cunarum ordine, Quarto, Georgio I. FORTUNATO. Etenim dùm circa an: 1567., Philippus I. memoratus, antequam è vivis excessisset, Landgraviatum inter Filios partiri constituit; ea sorte Georgius I. Darmstadium accepit, Primus Apex LANDGRAVIORUM de Hessen-DARMSTADT.

Porro DARMSTADT, Metropolis est Superioris Comitatûs Catzenelbogensis: cujus denominatio putatur haberi quasi à TRAJANI-STADT, seu Urbe TRAJANI.: quoniam inibi feruntur Romani, (ùt plura testantur monumenta) Castellum contra Cattos, populum Germaniæ pervetustum, erexisse. Sita est in amæno, frugifero, plano ad Oden-Sylvam loco; eaq; de causa à GEORGIO I. Landgravio, in suî domicilium delecta: qui vetustam arcem, ad Urbis Portam, exstructam olim, sed per Cæsareos annô 1546, vî occupatam, & funditùs eversam, etsi fortiter munitam, præter magnificam inibi Ecclesiam, magnô sumptu reposuit in molem, culmenq;. Post hac GE-

ORGIUS II. an: 1629. ampliavit hanc arcem, appoſito, urbem versùs, ædificiô novô, in Cancellariæ, Camerariæ, & Archivi receptaculum. LUDOVICUS IV. ex alia parte ad Orientem aliud poſuit ædificium, cum Turri præalta, & artificiosô Horologiô inibi erectô. Cingunt arcem foſſæ aquoſæ, cum vallo: adjacet illi Hortus peramænus, ad quem viret, creſcitq; magna arbor quercina; cujus ramum GEORGIUS I. an: 1577. è ſylva & venatione redux, Galero protectum, in memoriam recèns nati Principis, LUDOVICI III. inibi plantârat. Paulò inferiùs ad Septemtrionem, exſtruxit GEORGIUS I. an: 1571. Molendinum peramplum, quod, Teſtibûs Scriptorum aliquibûs, inter admiranda Orbîs ædificia, reputatur.

Locus hic an: 1330. poſtulatâ, factâq; Imperatoris Ludovici veniâ, à WILHELMO IV. Comite Catzenelbogenſi, in civitatem evectus, dupliciq; murô, Turribûs & Pomerijs, munitus eſt. In ea, è regione arcis, in foro, Curia civitatis, Eccleſia magnifica viſitur. Non procul ab Eccleſia hac LUDOVICUS III. Landgravius Gymnaſium celebre evexit. Extra Urbem, Franckofurtum versùs, idem LUDOVICUS III. ſuburbium, ſolido è lapide factîs domibûs condidit: quem æmulatus LUDOVICUS, inter arcem & Molendinum memoratum, ſimile ſuburbium contiguum priori poſuit, ac etiam urbem ipſam, alio præterea muro cinxit.

In hanc urbem DARMSTADT an: 1546. Cæsareus miles, sub Comite Beuern, Duos impetus exeruit, utroq; perdito: quam tamen, sub interstitium, agitationemq; Pactorum, vi admota expugnavit, prædamq; egit opimam. Annô etiam 1622. Urbs hæc à Comite de Mansfeld, jussu Friderici, Palatini Electoris occupata; & Ludovicus, JUNIOR dictus, Landgravius cum bino Principe Filio interceptus est. Nec non an: 1647. à Gallis capta est; Arx præterea, eorum sese mitioribus arbitriis, non tamen citra conditionum onus, occupãdam dedit. *Lexic. Germ. voc. Darmstadt. Winckelman. Descript. Hass. pag:* 101. *Zeiler, Topograph. Hass. pag:* 20.

Hæc ergo Urbs Princeps, LANDGRAVIJS HASSIÆ, alijs titulum de HESSEN-DARMSTADT imposuit.

GEORGIUS I.

LANDGRAVIUS de Hessen-DARMSTADT.

LANDGRAVIORUM de Hessen-DARMSTADT lineam Genealogicam, Primus Titulus GEORGIUS I. *juxta Morery voc. Hesse Famille*, FORTUNATUS; *juxta Lexic. Germ. voc, Darmstadt*, PIUS appellatus, Filius Landgravij Universæ Hassiæ, Philippi I. MAGNANIMI, natus 15. Decembr. an. 1547. inchoavit. Hic, vigore Testamenti Paterni, Comitatum Catzenelbogensem,

possessioni suæ exdivisum accepit; fecitq; Darmstadium, Dignitatis suæ Metropolim.

Duxerat primô connubiô Magdalenam, Filiam Bernardi, Comitis de Lippe; sed 22. Febr: an: 1582., sive *juxta Morery*. 7. Februar: an: 1596. ereptam fatîs, in lachrymis condidit, & in tumulo. Non illam tamen omnem mortuam dixisses; quia partem suî magnam reliquit in Filiis, quorum seriem inchoavit LUDOVICUS III. cognomentô FIDELIS, Successor Patris in Landgraviatum de Hessen-DARMSTADT. *Morery*.

Hunc Philippus de Hessen-Butzbach subsecutus venit in cunas 26. Decembr. an: 1581. Insigniter doctum, scribit *Lexicon. Germ.*; loquuntur disertiùs famam illius eruditam Biblia, quæ ex Latino, in Germanum idioma transtulit, præloq, dedit. Quàmvis verò junxisset connubio Annam Margaretham Filiam Friderici, Comitis de Deipholtz; tum, hac defuncta, Christinam Sophiam Filiam d' Ennon III. Comitis Ost-Frisiæ; nulla tamē Posteritate auctus, vitam exegit 28. April, 1643. *Ita Morery*.

Tertium Magdalenæ Landgraviæ puerperium dedit Orbi FRIDERICUM, qui Primum est Principium LINEÆ LANDGRAVIORUM de Hessen-HOMBURG. At verò, hos præter Filiorum Triarios, primo Georgii conjugio ampliorem Sobolis numerum adscribit *Morery*, scilicet Philippū

Wil-

Wilhelmum, propè ab ubere raptum. Christinā natam 26. Novembr: an: 1578; desponsam 1594. Friderico Magno, Comiti de Erpach; exstinctam 26. Martij. an: 1596. Elisabetham 1579. procreatam; nuptam Joanni Casimiro, Comiti de Nassau-Sarbruch; fatîs involutam an: 1625. Præterea Mariam Hedvigem & Magdalenam, ac Joannam, Filias, infantili funere sublatas: Nec non Annam, Uxorem Alberti Othonis, Comitis de Solms

Altera GEORGIJ I. federa, *juxta Morery*, vitæ sociam habuerunt Eleonoram, Christophori Ducis Wurtenbergensis, Filiam eamq; Viduam Joachimi Ernesti, Principis de Anhalt: ex qua susceptum anno 1590. Henricum, refert *Morery* mortuum 9. Januar: an. 1601. cujus fata prævenit obitus ipsius GEORGII Patris, 3. Febr: 1596. prostrati.

LUDOVICUS III.
LANDGRAVIUS de Hessen-DARMSTADT.

LUDOVICUS III. Landgravius de Hessen-DARMSTADT, natu Major Filius GEORGII I. appellatus FIDELIS, natus 24. 7bris an: 1577. Matre Magdalena, Filia Comitis Bernardi de Lippe. Vix decem annos compleverat jam Biblia tam oculô perlegerat, quàm impresserat; animo. Sacris ille primò literis ætatem imbuit, ac ingenium: deinde Græcam, Latinam, Italicam, Gallicam lingvam edidicit; tum Juris prudenti-

am complexus non ſinè emolumento dein ſuſcepti ad Regimen Landgraviatûs. Ad annorum .7. ætatem promotus, Juris ſcholam adiit, nimirum Cancellariam, amore cognoſcendi aliorum cauſas, & acquirendi rerum peritiam. An: 1595. in Italiam, videndi Solis exteri causâ, iter arripuit; ſed quarto mox menſe, Patre ejus mortuô an: 1596. 7. vel 3. Februar: revocatus ad Landgraviatûs Gubernium.

An: 1604. Inter eum & MAURITIUM, LANDGRAVIUM de Heſſen-CASSEL, ſuum Patruelem, lis interceſſerat ratione Principatûs Marpurgenſis, qui tandem LUDOVICO huic anno 1623. finaliter adjudicatus: imò Landgravio Mauritio, quòd uſumfructum ex præfato Principatu ad ſe, eò uſq; traxiſſet, etiam Comitatus Inferior Catzenelbogenſis, ademptus.

An: 1607. erexit LUDOVICUS Univerſitatē in Urbe Gieſſen; cui Privilegia ab Imperatore RUDOLPHO exoravit,& obtînuit. Conſtruxit ibidem Landgraviale Collegium; ac pariter an: 1625. Univerſitatem Marpurgenſem. Cum civitatem ſibi adjudicatam obtinuiſſet; priſtino flori reſtituit, collatîs ei 60000. floren:

Eodem tempore, unum in ſenſum conſpirante Fratrum concordia; & Imperatorum, RUDOLPHI II. MATHIÆ, & FERDINANDI II. approbatione, Jus Primogenituræ, & ſucceſſionis in Bona ſui Landgraviatûs, renovatum, & ſtabilitum eſt.

Eo-

Eorundem verò Imperatorum pretia, ob suæ non famam solùm, at etiam probatæ prudentiæ notitiam, usq; adeò ingentia sibi comparavit LUDOVICUS, ut ejus usum in summis negotiis adhibuerint: FERDINANDUS insuper II. an: 1619. ipsum Darmstadij inviserit, postquam annô elapsô iter in Galliam & Hispaniam, Italiam & Maltam, absolvisset.

An: 1622. ab Ernesto Comite de Mansfeld, subita invasione circumventus Darmstadij, cum Filio Joanne, abductus est. Poterat dissimulare habitum; Personam Principem tegere non poterat, ut eluderet suæ captivitatis infortunium; è quo postea, onerosîs conditionibûs, in libertatem sese vindicavit, Eodem adhuc annò ad Electoralem Collegialem diem, Regenspurgum; indè sequentî annò, cum Ferdinando II. Imperatore, Pragam & Dresdam profectus. Tum adesse voluit Conventui Schleusingensi: redux verò indè Darmstadium, Epitaphium sibi erigi jussit, & sepulchri locum condi; statuitq;, ut sepeliretur, post sera fata, cum Clenodio inscriptionem ejusmodi præferente: DEO, & CÆSARI FIDELIS! quod collo suo appendi mandavit. Indè cognomentum FIDELIS, sortitus est.

Nondum recito supremum diem Ludovici; cùm adhuc Solem illum non declaravi, qui tædas ejus Geniales spectavit. Duxerat ille an: 1597.

Mariā Magdalenā, Joannis Georgij, Electoris Brandēburgensis Filiā; ex qua Filios quinq;, septem Filias acceperat, facta origine à GEORGIO II, LANDGRAVIO de Hessen-DARMSTADT nato 17. Mart: an: 1605. Successit Joannes annô 1609. quem deinde Marita vincula Joannæ Comitissæ de Sayn, adstrinxerunt sub annum 1661. Post istum, lucem salutavit Fridericus, processu annorum factus Eques in Maltha, & totius Ordinis per Germaniam Magnus Prior; tandem Cardinalis per Innocentium X. ac Protector Germaniæ creatus, simul Episcopi Vratislaviensis Infulas, simul Supremi in Silesia Capitanei munus gessit, donec vitam posuisset an: 1632. *Morery. Lexic. Germ.* Numerum clausit masculum nascentium, Henricus 1612, editus; subductus terris annô 1629. Senis in Italia.

E Filiabus, prima Elisabetha Magdalena in auras prodiit 23. April. an: 1600. Ivit in thalamos Ludovici Friderici, Ducis Wurtenbergensis, annô 1617. decessit 9. Junij an: 1624. *Morery. Lexic.* Annā Eleonoram progenitam an: 1601. cunabula; Dux, deinde Brūsvicensis torô; fatum urnâ accepit annô 1659. Sophia Agnes lucem aspexit an. 1604. tædas Nuptiales sibi, & Friderico Comiti Palatino de Sultzbach & Hippolstein accensas vidit. Julianam annus 1606. prodidit: Uxorē Ulrico Comiti Ost-Frisiæ dedit annus 1631. fatis transcripsit dies 15. Januarij, an: 1659. *ita Morery*, qui insuper quatuor alios partus ad cunas; ab his ad tumbam venisse.

niſſe recenſet. *Lexic. Germ. voc. Ludovic. pag.* 237. *col.* 2. *Winckelman. de Princip. Haſſ. Acta Marpurgenſ. Succeſſ, Spener. in Sylloge.*

Venit tandem Ludovico, qui nullum præterit, ſummus dies, anno 1626, vergente ad terminum Menſe Julio; nec permiſit, ut munitionem Rheinsfelſenſem, aliorumq; inter ferventes operas creſcentem, abſolveret. At Conſors ejus, vitæ curſum celeriùs peregit, abire juſſa ex Orbe 24. Maij 1616.

GEORGIUS II.
LANDGRAVIUS de Heſſen-DARMSTADT

GEORGIUS II. Landgravius Lineæ de Heſſen-DARMSTADT natus 17. Mart: anno 1605. Patre LUDOVICO proximè memorato, Matre Maria Magdalena, Electoris Brandenburgenſis, Joannis Georgij Filia. Optimè & à natura inſtitutus, & à cunis, Parentibûs ſolicitè caventibûs, ne quid illi indignum Principe, affricuiſſet educatio. Sacras Bibliorum literas variîs lingvîs propoſitas, ferè è pagina in memoriam tranſtulit. Nec infeliciùs Politicîs, Hiſtoricîs, Geometricîs, Geographicîs, Jure Civili, & alijs Principum exercitiîs mentem inſtruxerat. Talis, tamq; eruditus, nihil habuit, quod diſceret ab Orbe extero; hinc non animum illi dedit, ſed oculum, dum annô 1621. Die 13. Junij peregrinationem patrias

ultra terras ſuſcepit, ſub cura Comitis in Erpach, Joannis Caſimiri. Adiit primùm Bruxellas, inviſit Belgium; indè in Galliam, mox in Hiſpaniam proceſſit, venitq; 16. Octobr: an: 1621. Madritum, inde Liſſabonam. Unde maritimo itinere redux, vix naufragium evaſit; qùo tamen ſuperatô periculô Marſiliam appulit; unde per Sveviam ulteriùs promovit viam. Poſtquam autem Carlsheimij cognovit, Patrem ſuum à Comite de Mansfeld, Erneſto obrutum & interceptum; Dreſdam provolavit, ubi apud Ducem Saxoniæ, eliberationē Patris, ſtudiîs urſit ſolicitîs, moramq; illic ad an: 1623. pertraxit; quo dein annô etiam Comitiis Imperij interfuit Regenſpurgi, Patriq; collocutus, cum eo Dreſdam diſceſſit.

Annô 1624. in Italiam profectus, venit Romā, ubi Urbano VIII. Pontifici Maximo, honoris reddidit officia. Tandem in Julio, eodem annò, peregrinas vias ſuo reddidit Darmſtadio.

Poſt hæc iterum an: 1625. Dreſdam diſceſſit, Patri comes; ubi anunlô geniali deſponſatus cum Ducali Saxoniæ Principiſſa, Sophia Eleonora. Sed interea Patre ejus, ad ſuprema deducto 27mâ Julij an: 1626, lacrymîſq; plangentibûs, Thalaſſio tamdiù ſiluit, donec & luctus miteſceret, & Georgius Poſſeſſionem Landgraviatûs, Targoviæ ſuſcepiſſet annô 1627. 1. Aprilîs. Hoc eodem Annô celebravit Jubilæum Marpurgenſis Academiæ; & convenit cum ſuo Patruele Landgravio WILHEL-

MO

MO III. in urbe Cassel, ratione Marpurgensis ditionis, cui restituit in Tribunali Cameræ, Spiræ sibi adjudicatas Jurisdictiones, in Inferiori Hassia, exceptâ Schmalcaldia & Inferiori Comitatu Catzenelbogensi, unà cum urbe Marpurg, quam penes se retinuit.

An: 1630. rursus Comitijs Regenspurgi, suam dedit præsentiam; ac an: 1631 Conventui Lipsiensi. Dein eodem annô post Sveticum ad Lipsiam prælium, dum exercitus Sveticus suo Landgraviatui appropinquâsset, profectus est ad Regem Sveciæ, Gustavum Adolphum, cumq; illo ita convenerat 19. Novembr: ut neutris partibus accederet is quidem, tamen in Castrum suum Russelsheim ad Rhenum reciperet Sveticum Præsidium.

Post Adolphi Regis obitum; iterum annô sequenti 1632. Dresdam iter arripuit, ubi à Legato Cæsareo invitabatur, ut Duci Saxoniæ persvaderet cum Imperatore colendam pacem. Neq; Georgius Landgravius desideria Legati de sinu excussit, sed distulit ad opportunitatem rerum, & temporum, quæ dum anno ineunte 1634. post Nordlingense prælium, affulserunt, Dresdam properavit, ut Ducem Saxoniæ, ad Pacem cum Cæsare ineundam, inclinâsset. effecit; ejusq; sequestrô studiô coaluit concordia, Pragæ firmata. Qua de causa, tam altè insedit pectori Cæsareo, ut ejus sententiâ, multā sortem aliorum Comitum, qui Sveticis partibus adhæsêre, obtinuerit; quam tamen

omnem, vigore Veſtphalicæ Pacis concluſorum Pactorum, unicuiq; reſtituerat, ſervatô tamen titulô pro ſe, & ſua Domo, Comitis de Yſenburg & Budingen.

Poſt obitum ſui Patruelis, WILHELMI III. Landgravij de Heſſen-CASSEL. an: 1637. optaverat, tutelam Filiorum ejus infra ætatem exiſtentium, ad ſe pertrahere; qua illi in parte Aulæ Cæſareæ favor adſpirabat. Sed Conſors WILHELMI III. Vidua Æmilia ſeu Amalia, Eliſabetha, curã prolis ſibi eripi tam graviter tulit, quàm fortiter egit, ut obtineret. Neſcio verò, quæ diſſidiorum ſemina Georgium inter & Æmiliam ſparſa, in bellum grave anno 1645. creverunt, abruptô prorſus vinculô cum Linea de Heſſen-CASSEL ligatæ an: 1627; quaſi nexus hic violentîs mediîs cohæſiſſet. Pugnatum acriter: & ferrea hac tempeſtate, Butzbach, Marpurgum, præter alia loca, perdiderat Landgravius: ſed Imperatorii Exercitûs manu auxiliari effultus, quidquid bellum avulſerat, recuperavit, præter Arcem Marpurgenſem, à qua Cæſareus Campi-Mareſchalcus, Comes de Holtzapffel arma, & pedem referre coactus eſt. Nihilominus illo rerum turbine, afflicta multùm Georgii Provincia; quia & Sveciæ Exercitum in ſua infuſum viſcera, cùm ejicere non poſſet, pati debuit. Diminutô nonnihil, per certaminum cladem, utroq; exercitu, adhuc ſpem fortunæ bellicæ in ſuo vidit gladio, Generalis Lieutenant, Eber-

berſtein, factoq; incurſu vindicavit Landgravio Kierchban; Rauſchenberg, & Blanckenſtein: profligavit etiam ad Ziegenheim Generalem-Lieutenant Geyſen, exercitûs de Heſſen-Caſſel Ductorē. Ille tamen junctus Svetico Generali-Majori, Comiti de Lowenhaupt, armorum potentiam Landgravialium 19. Novembris ad Franckenberg fregit quam cladem ſecuta interceptio Kirchheim, Kintzberg, Blanckſtein, Hohenſtein, Catz, & Rheinsfels. Bellum hoc tamdiu æſtuabat, donec tandem Dux Saxoniæ, Erneſtus de Saxen-Gotha occurriſſet, ac utramq; Partem an: 1648. Caſſellæ ad Pacis tranquilla adduxiſſet. Amiſit tunc Comitatum Inferiorem Catzenelbogenſem, & Urbem Marpurgenſem Georgius: quod totum dein Pactîs Veſtphalicîs firmum factum eſt, fixumq;.

Tempeſtate hac, quod tridenti negatum, per pacatæ ramum Olivæ, ſedata, eò animum, curamq; vertit ſolicitam Landgravius, ut Univerſitatem Gieſſenſem, uſitata inter Solemnia fundatam à Patre, perq; annos aliquot ſuſpenſam, ad culmen deduceret, quod anno 1650. 5. Maji aggreſſus, nulli ſeu operæ, ſeu fortunæ pretio pepercit, donec ſummam manum cœptis imponeret.

Tandem an: 1660. futurorum providus, Teſtamentum confecit, ejuſq; Executores nominavit, Ducem Saxoniæ, Joannem Georgium II., & Ducem Auguſtum de Saxen-Halle, ac Marchio-

nem Albertum de Brandenburg-Anſpach. Tum 11. Januar: an: 1661. apoplexiâ tactus 8. horas ſupervixit, vixitq;. *Juxta Morery* 21. Junij.

Duxerat Sophiam Eleonoram Filiam Electoris Saxoniæ Joannis Georgij I.; ex qua ſuſcepit 3. Filios & 12. Filias: atq; ex illis Nepotes 24. conſpexerat: *Ita Lexic. Germ.*

Ludovicus IV., prima illi Progenies, felicitate naſcendi, in titulum Landgravij de Heſſen-DARMSTADT edita. Alterum Georgium complexæ faſciæ 1632. Tertium Filium, Filiaſq; novem, quaſi non de ſolo tantùm libro viventium, at etiam Scriptorum paginis, uſq; ad nomen deleviſſet mors in annis infantibus, nullibi legi poſſunt, noſciq; de nomine, licèt de pignoribus progenitis conſtet *ex Morery.* Quæ verò ætatem teneram vicerunt; quaſi ſub laurea ſervatæ ſunt ad famam. Maria Magdalena Sybilla progenita an: 1631. cum vita Virgine exſtincta an: 1651. *Morery Lexic. Germ, voc. Georgius pag.* 403. *col.* 1. *Puffendorff. de Reb. Sveciæ. Ziegleri. Labyrinth.*

LUDOVICUS IV.
LANDGRAVIUS de Heſſen-DARMSTADT.

LUDOVICUS IV. Landgravius de Heſſen-DARMSTADT, Filius Georgij II, natus 25. Januar: an: 1630. Matre Sophia Eleonora, Ducis & Electoris Saxoniæ, Joannis Georgij I.

Filia

Filia. A teneris, Principi necessariis scientiis imbutus, singulariter artem imbibit Poëticam, qua quandoq; fallebat tempus, concinnando versus Germanicos: cujus rei monumentum est, integrũ Psalterium, seu Liber Psalmorum Germanicîs rhythmîs ab eo conscriptus.

An: 1662, cum Palatino Rheni venerat in lites, ratione Con-Dominatûs, & Episcopalis Juris, Umstadij; quas tamen controversias Vicini Principes, per amica media, ad tranquillitatem perduxerunt.

Duxerat verò an: 1650. Mariam Elisabetham, Friderici, Ducis de Holstein-Gottorp, sive (*ut Lexic: Germ. voc. Ludov. p. 237. à col: 2. scribit*) Friderici Ducis de Schleswig-Holstein, & Mariæ Elisabethæ de Saxonia, Filiam. quæ illi annô 1658. Ludovicum progenuit, raptum tunc ad urnam, annorum ætatis 20, dum illi Hymen toros appararet, nuptiasq; cum Ermunda Dorothea, Ducis Mauritij de Saxen-Zeitz Filia. *Morery & Lexic. Germ.*

Edidit præterea an: 1652. Magdalenam Sybillam desponsatam an: 1672. Wilhelmo Ludovico, Duci Wurtenbergensi, quæ, fatîs decedente Marito, facta an: 1677. Vidua, dein 8. Aug. an. 1712. fatîs obruta.

Mariam adhuc Elisabetham fudit in lucem an: 1656, Henrico Duci de Saxen-Romhild an, 1676. in matrimonium datam, at: 16, Aug. 1715. sublatam morte. U2 Insu-

Insuper Sophiam Mariam enixa an: 1661, quā Dux Christianus de Saxen-Burg, an. 1681. duxit; & 22. Aug: an. 1712. amisit.

Quem verò Filium, Fridericum, Filiamq; Augustam Magdalenam parturivit, germen hoc utrumq; mors carpsit nondum maturum.

Postquam Maria Elisabetha Ludovicum Conjugem 17. Junij an. 1665. defuncta reliquisset; duxit secundîs nuptialibûs votîs, in annum sequentem 5. Decembr: Elisabetham Dorotheam, Ducis Ernesti de Saxen-Gotha Filiam; ex qua accepit Ernestum Ludovicum natum 15. Decemb. an. 1667. Landgravium posthac de Hessen-Darmstadt.

Alterum ex ea Filium procreavit Georgium, in terras editum 15. April. an. 1696., qui Fratre Majore, per cunarum jura, in Landgravium evecto, apud Martem quæsivit nomen, invenitq;: nam Cæsareus Generalis-Wachtmeister factus, generositate sua & Heroicîs gestîs per Irrlandiam, Belgium, Hispaniam, Hungariam, & Piemontum arma circumtulit, Dux ubiq; ad victorias. In Hispanias subinde perlatus, per merita eos venit ad titulos, ut Regius Supremus Stabuli-Præfectus, Camerarius, Grandis Hispaniæ, Eques aurei Velleris, & Vice-Rex Catalauniæ, omnē prope honorem, suum faceret. Anno 1697. strenuissimi Herois gloriam illi peperit defensa fortiter Barcellona: quam tamen Gallica obsidione magis, magisq;

pres-

pressam, cùm servare longiùs fata non sinerent, illud egit, ne violentis infortuniis pateret; nec raperetur, sed veniret in victrices manus: quod capitulationis (ut ajunt) viâ effectum. Post fata Caroli II. Hispaniæ Regis, in CAROLI III partes transierat, cui non solùm Gibraltar Fortalitium sua magnanimitate ereptū hosti asseruit; sed etiam, dum Galli Hispanis federati, eundem locum an.· 1705. armîs vindicarent potentibûs, murô fortior aheneô tulit impetum,nec cessit. At postquam Rex Hispaniæ, CAROLUS hujus nominis III., in præsentia IMPERATOR ROMANORUM AUGUSTISSIMUS ejusce nominis VI. prædictô annô exercitum suum Barcellonam moveret; GEORGIUS hic, Generalis potestate Magn9,14. Septēb: in obsidione Montjovi, occubuit hac occasione. Cum enim ejus Potentia perfregisset prima obstacula: sustulisset autem clamorem lætum Pars adversa: *Viva Don Carlos Tercero!* id est, Vivat CAROLUS III.! ratus hic Princeps, hostem perdomitum, ultra locorum pericula prosiliit: interea Gallicus globus fistulâ excussus, genu læsit Georgii in dextero pede, venamq; laceravit vulnere, frustra adnitentibûs remediîs, ut sangvis sisteretur. Mori noluit, quin spiritum suum, commendatione gravi inhalaret, Lord Peter Borough, ne Domum Austriacam desereret: quibûs dictîs, vocem clausit, & vitam. *Lexic. Germ. voc. Georg: pag.* 403. *col.* 2. *Printz-Georgens, Todesfall.*

Post Georgij Natalem, vidit Ludovicus Phi-

lippum 20. Julij an. 1671. progenitum; illumq; anno 1708. in Cæſareum Campi-Mareſchalcum; & anno 1714. in Locum-Tenentem in Ducatu Mantuano provectum. Vitæ ſuæ Conſortem an. 1603, adſciverat Mariam Erneſtinam Joſephinam Ferdinandi Franciſci, Ducis de Haure, & Croy, Filiam, quæ an: 1714. 8. Maij morte ſublata.

Henricus, 29. Septembr. 1674. natus, auxit Ludovici IV. Progeniem.

Huic ad cunas ſucceſſit Fridericus, 18. Septembr. an: 1677. procreatus; Romæ poſtea evectus in Abbatem an, 1697. tum in Canonicum Vratislavienſem, & Colonienſem: quem deinde, ſtatu mutato, exuerat, nondum Aris Sacer, vitamq; profeſſus militarem, factus Generalis-Campi-Mareſchal-Lieutenant Roſſiaci Exercitûs apud PETRUM I. MAGNUM, IMPERATOREM ROSSIÆ. Et quia periculorum avidus, vulnerumq;, pugnæ ad Leſnam in Majori Polonia commiſſæ pectus objecerat; mortem accepit lætus, quòd trabeatam ſuo ſangvine animam è corpore dimitteret 13. Octob: 1708.

At nondum Ludovicus Landgravius, Domui ſuæ Parens eſſe deſiit: hinc Sophiam priùs Ludovicam an: 1670. progenuit, deſponſatam poſtea an: 1688. Alberto Erneſto Duci de Ottingen: deinde Eliſabetham Dorotheam, natam an: 1676. quam duxit

duxit anno 1700. FRIDERICUS JACOBUS III. PRINCEPS nunc HEREDITARIUS de Hessen-HOMBURG, jam modò & titulô LANGRAVIUS, & munere suîs humerîs sedente. *Lexic. Germ. voc. Ludovic. pag, 237. a col. 2. Morery.*

ERNESTUS LUDOVICUS

LANDGRAVIUS de Hessen-DARMSTADT. *Modernus.*

ERNESTUS LUDOVICUS LANDGRAVIUS de Hessen-DARMSTADT natus Patre Ludovico IV. 15. Decembr: an: 1667. Matre Elisabetha Dorothea, Ernesti Ducis de Saxen-Gotha, Filia. Fratri suo, primis de thalamis, deq; Maria Elisabetha, Friderici de Schleswig-Holstein-Gottorp Filia, orto, sed, dum tædas nuptiales appararet, exstincto, successit in Landgraviatu Paterno.

Duxerat 1. Decembr: an. 1687. Dorotheam Charlottam Alberti Marchionis de Brandenburg-Anspach, Natam, quæ toros cum vita deseruit 15. Novembris an. 1705. Prolem nihilominus variam reliquit Marito Principi; quam suprà, ævo major PRINCEPS LUDOVICUS eminet, in lucem missus vitalem, 15. Aprilis an: 1691.

TABULA GENEALOGICA LANDGRAVIORUM de Hessen-DARMSTADT.

Georgius I. *Landgrav. de Hessen-*Darmstadt *Primus, dictus* Fortunatus, *vel juxta alios* Pius *Filius Philippi. I. natus 15 Decemb. 1547. duxit Magdalenam. Bernardi Comis de Lippe, ex qua suscepit.* - - - - - -
2dò duxit Eleonoram Christophori Ducis Wurtenbergensis Filiam, Viduam verò Joachimi Ernesti Principis de Anhalt.

Ludovicum III. *Landgraviū de Hessen-*Darmstadt. *Qui natus 24. 7bris 1577. duxit Mariam Magdalenam, Joannis Georgij Electoris Brandēburgensis Filiam, 1597. quæ obiit 24. Maij 1616. Ipse defunctus 27. Julij 1626. ánnorum ætatis suæ 49.* - - - - - - -

Philippum, de Hessen-Butzbach, qui natus 26. Decembr: 1581. mortuus 28. Apr. 1643. absq; hærede ex Anna Margaretha, Filia Friderici, Comitis de Deipholtz, & Christina Sophia Filia d' Ennon Comitis Ostfrisiæ.

Fridericum *à quo* Landgravij *de Hessen-*Homburg, *descendunt.*

Christinam natam 26. Novemb. 1578. Friderici Magni Comitis de Erpach, obiit autem 26. Martij 1596.

Elisabetham natam 1579. desponsatam Joanni Casimiro, Comiti de Nassau-Sárbruch, quæ obiit 1625.

Mariam Hedvigem.
Mariam Magdalenā — *mortuas in infātia*
Joannam

Annam, uxorem Alberti Othonis, Comitis de Solms.
Henricum natum 1590. mortuum 9. Jan. 1601.

Georgius II. *Landgravius de Hessen-*Darmstadt. *Natus 17. Mart. 1605. mort: 21. Junij. 1661 Duxerat Sophiam Eleonoram Filiā Joannis Georgij I. Elect. Saxoniæ.* - - - - - -

Joánnes genitus 1609. desponsatus 1691. Joannæ Comitissæ de Sayn.

Fridericus, Eques in Malta & totius Ordinis per Germaniam Magnus Prior. Tum Cardinalis ac Protector Germaniæ, Episcopus Vratislaviensis, & Supremus Capitaneus per Silesiam. Obiit 1632.

Henricus, natus 1212. Senis in Italia. obiit 1629.

Elisabetha Magdalena nata 23. April. 1600. nupsit 1617 Ludovico Friderico Duci Würtēbergensi. Obiit 6. Junij 1624.

Anna Eleonora nata 1601. Desponsata Georgio, Duci Brunsvicensi, obiit 1659.

Sophia Agnes genita 1604. nupta Joanni Friderico, Comiti Palatino de Sultzbach-Hippolsteiu. - -

Juliana nata 1606 desponsata 1631. Ulrico Comiti Ostrifiæ obiit 15. Jan. 1659.

Quatuor aliæ Proles mortuæ in teneris.

Ludovicus IV. *Landgravius de Hessen-*Darmstadt *natus 25. Jan. 1620. Duxit 1650. Mariam Elisabetham, Friderici, Duci de Holstein-Gottorp, & Mariæ Elisabethæ de Saxonia Filiam, defunctam 4. Maij 1678 2dò Elisabetham Dorotheam Ernesti Ducis de Saxen-Gotha Filiam.* - - - - - -

Georgius, natus 1632.

Maria Magdalena Sybilla nata 1631. Obiit non inito connubio 1651.

Sophia Eleonora nata 1634. desponsata 1650. Wilhelmo Christophoro, Landgravio de Hessen-Bingenheim.

Elisabetha Amalia genita 1635 & desponsata Philippo Wilhelmo Comiti Palatino de Neüburg.

Præterea aliæ 10. Proles.

Imô thorô.

Ludovicus mortuus 30. Aug. 1678. ætatis suæ anno 20.

Magdalena Sybilla nata 1652. desponsata 1672. Wilhelmo Ludovico Duci Würtenbergensi, quæ Vidua facta 1677 obiit 8. Aug. 1712.

Maria Elisabetha nata 1656. desponsata Henrico Duci de Saxen-Romhild 1676. obiit 16. Aug. 1715.

Sophiá Maria, genita 1661. Conjux Christiani Ducis de Saxē-Burg an: 1681 obiit 22. Aug. 1712.

Fridericus
Augusta Magdalena — *obiêre in adolescentia.*

2dô thorô.

Ernestus Ludovicus *Landgravius. de Hessen-*Darmstadt *modernus natus 15. Decembr- 1667. Duxerat 1687. 1. Decembr: Dorotheam Charlottam Marchionis de Brandenburg-Anspach, Alberti Filiam, quæ proles inter genuit.*

*Georgius natus 15. April. 1696. Vide de eo tit. Ludovicus IV. de Hessen-*Darmstadt. - - - - - -
Philippus natus 20. Julij 1671. vide ibidem de eo. - - - -
Fridericus genitus 18. 7bris 1677. obiit 13. Octobr. 1708. vide pariter de Eo. Tit: Ludovicus IV. de Hessen Darmstadt.
Sophia Ludovica nata 1670. Desponsata 1688. Alberto Ernesto Duci de Ottingen.
Elisabetha Dorothea nata 1676. quam duxit 1700. Fridericus Jacobus *Landgravius de Hessen-Homburg modernus.*

Ludovicum *qui natus 15. April: 1691* Hæreditarius Princeps *de Hessen-*Darmstadt, *cujus Conjux Charlotta Christina de Nassau, nata 2. Maij 1700.*

L

T

sem
Pro
osti
min
grav
sus,
ingo
in P

Rhe
ri C
rupi
cog
posu
1255
60.
cum
qua
runt
imp

LINEA GENEALOGICA
LANDGRAVIORUM
De Heſſen-RHEINSFELS

TAnta LANDGRAVIORUM HASSIÆ Gloria, Magnitudo, Majeſtas eſt, ut præter Heſſen-Caſſellanam, Heſſen-Darmſtadienſem lineam, in Rheinsfelſenſem adhuc Principum Progeniem ſeſe explicet. Et quàmvis Nilum in oſtia diviſum ſua deſerit amplitudo, nec altum fluminis ſervat alveus: Haſſiæ tamen Sangvis Landgravius, in iſtas, illaſq; Familias, quaſi venas diffuſus, non purpuræ damna ſentit; non copiæ. Ubiq; ingens eſt Nomen, par ſibi fama, & ubiq; exundat in Principes.

Porro Rheinsfels, præſtans fortalitium eſt ad Rhenum, non procul Oppidô S. Goar, in Inferiori Comitatu Catzenelbogenſi, eminentia ſuper rupium faſtigia ſedens: quod Dietericus, DIVES cognomentô, Comes Catzenelbogenſis, annô 1245. poſuerat. Dum verò prætereuntia navigia, anno 1255. cogeret ad pendendum ſibi tributum; Urbes 60. ad Rhenum jacentes, conſpirârunt in Dietericum, Arcemq; ejus Rheinsfels, obſidione cinctam, quatuordecim, ultra annum, hebdomadas, preſſerunt irrito molimine. Arx ſtetit infracta; neq; impoſita penſio excuti potuit, quam Naves prono

no Rheni flumine currentes numerant omnino Landgravijs Rheinsfelſenſibus.

An: 1569. Arx hæc à Landgravio Philippo JUNIORE latiùs extenſa, tum adjectô illi hortò, per artem cultiſſimô, tum fonte in rupibus apertô. Locus verò hic jam Ditioni Landgraviorum de Heſſen-Darmſtadt ſerviebat; jam Landgraviis de Heſſen-Caſſel; quem ſcilicet Linea Heſſen-Caſſellana per Generalem ſuum Mortaigni occupaverat armîs an: 1647. & abhinc Pactîs Conventîs, poſſeſſioni Landgraviorum de Heſſen-Caſſel, relictus eſt; annoq; 1648. Erneſto Mauritij de Heſſen-Caſſel Landgravij Filio, datus in poſſeſſionem, præter alia loca, ubi etiam Reſidentiam fixit, ac Lineam LANDGRAVIORUM de Heſſen-RHEINSFELS exorſus eſt, & propagavit.

Cùm annô 1692. Galli arctiſſimè obſediſſent Rheinsfels; neq; Rheinsfelſenſis Linea, parem gladium haberet, quo nodum reſcinderet; toti autem Imperio multùm obfuiſſet expugnatio per Gallicas vires Rheinsfels; hinc Landgravius de Heſſen-Caſſel, Cæſaris conſenſu, ſuam militiam ſubmiſit an: 1702. ſolvitq; ab obſidione. At verò pulsîs periculîs, Arcem ita inſedit armîs ſuîs, ut eam ſibi vindicaverit, jure ſcilicet bellî datā, æreque magno in robur validius repoſitam. Quid ageret Rheinsfelſenſis Linea ad Cæſarem confugit, atq; injuriam peroravit ex voto. Decrevit enim Imperator,

lo-

locum hunc Lineæ Rheinsfelſenſi, tradendum. Porro cum Domus Heſſen-Caſſellana, ſancito Cæſareo acquieſcere detrectaret, ſuo juri confiſa; imperium dedit Cæſar toti Superioris Rheni Circulo, ut mandata ſua, forti manu exequeretur. Rem itaq; per extrema agi, Heſſen-Caſſellana videns Proſapia, Auguſtiſſimæ ſententiæ morem geſſit, & Rheinsfels copijs ſuis liberam, ceſſit Rheinsfelſenſi Lineæ.

Ab hoc itaq; loco, RHEINSFELS, & LANDGRAVIO Heſſen-Caſſellanæ Lineæ ERNESTO, Mauritij de Heſſen-Caſſel Filio, nomen acceperũt LANDGRAVIJ de Heſſen-RHEINSFELS, ex Heſſen-CASSELLANIS LANDGRAVIJS deſcẽdentes. *Lexic. Germ. voc. Rheinsfels.*

ERNESTUS.

LANDGRAVIUS de Heſſen-RHEINSFELS.

ERNESTUS Landgravius de Heſſen-RHEINSFELS natus 1623. Matre Juliana, Joannis Medij dicti, Comitis de Naſſau-Dillemburg, Filia, Conjuge Patris Mauritij Landgravij de Heſſen-Caſſel. Qui per exdiviſionem Bonorum à Patre factam, majorem Inferioris Comitatûs Catzenelbogenſis partẽ obtinuit; nimirum, Rheinsfels S. Goar, Geversbauſen, Rotenburgum ad Fuldam, cum ſuo Diſtrictu, Wanfrid, Prætoriatus inſuper Reichenbach, Floenſtein, Wittmarsdorff. & alia loca.

Obijt an: 1693. relictîs ex Conjuge Maria Eleonora Comitissa de Solms, duobûs Filiîs: Quorum primus Wilhelmus, genitus est an: 1648. residebatq; Rotenburgi ad Fuldam.

Junxerat Wilhelmus suo thalamo an: 1669. Mariam Annam, Comitissam de Lowenstein-Wertheim, ex qua progenuit Principes sex Filias, præter Ernestum Leopoldum in lucem editum 25. Junij an: 1684. in præsens Landgravium de Hessen-RHEINSFELS.

Alter Junior natu Filius Ernesti Carolus, susceptus in terras anno 1649. fixerat domicilium in Urbe Wanfrid, & cum Fratre majore natu Rotenburgi gubernabat Terram suam, communi quà regimine, quà reditu. Obijt autem 1. Mart. anno 1711. postquam ex binis suis uxoribus, Prima Comitissa de Solms-Reifferscheid; Secunda, Comitissa de Leiningen, geminos Filios suscepisset. Horum Senior Canonicis Coloniensibus adscripsit nomen; alter Christianus natus 1689. in Urbe Wanfrid sedem collocavit. Ex Filiabus ejus sex, Major natu Charlotta Amalia, desponsata est an: 1694. RAKOCIO Principi Transylvaniæ. *Lexic. Germ. voc. Rheinsfels. Hubneri. Genealog. Tab. 210.*

ERNE-

ERNESTUS LEOPOLDUS

De Hessen-RHEINSFELS

LANDGRAVIUS in præsenti

ERNESTUM LEOPOLDUM, annus 1684tus, dies autem 25ta Junij ostendit Soli, semper ut spectet, avido. Tantus in illum amor est Sideris! dulciùsq; in Leopoldo defigit radium, quàm in Leonis astro subsistat.

Secundus est Principatui de Hessen-Rheinsfels Landgravius: veriùs, Fortuna est Sortis suæ, & Dominatûs hereditarii auspicatissimum Nomē, felix Titulus. Prosperitatis interest Landgravialis, postquam senuerint anni, adhuc Juvenem esse tantum Principem, nec terras relinquere, quādiu sibi illum vovebunt: vovebunt autem perenniter.

Ne verò sibi tantûm, at Posteris etiam viveret; duxit in thalamos annô 1704. Elisabetham Mariam Comitissam de Lowenstein, natam 22. Maij in anno 1688. Sed cùm notitia nostra longiùs seposita degat; scire non potuit, dareq; literis ingentia Posteritatis Landgraviæ Nomina, Dignitatem hanc Fastis majoribus servante Historia.

TABULA GENEALOGICA
Landgraviorum de HESSEN-RHEINSFELS.

- ERNESTUS, *Mauritij Landgravij* de *Hessen-Cassel Filius, Matre, Juliana Joannis Medij Comitis de Nassau-Dillemburg Filia, Progenitus* 1623. Primus Landgravius *de Hessen* Rheinsfels, *duxit Mariam Eleonoram, Comitissam de solms Obijt.* 1693. - - -
  - Wilhelmus *Landgravius de Hessen*-Rheinsfels. *natus* 1648. *Duxit* 1669. *Mariam Annam, Comitissam de Löwenstein-Wertheim.* - - - -
    - Ernestus Leopoldus *Landgravius de Hessen*-Rheinsfels *natus* 25. *Junij Annô* 1684. *Duxit* 1704. *Elisabetham Mariam Comitissam de Löwenstein natam* 22. *Maii* 1688.
  - *Carolus natus* 1649 *Duxit* 1mo *Comitissam de solms-Reifferscheid.* 2do: *Comitissam de Leiningen, Obijt* 1. *Martij* 1711. - - -
    - *Filius Major natu, Canonicus Coloniensis*
    - *Christianus natus* 1689.
    - *Ex Filiabus sex*
    - *Charlotta Amalia desponsata* 1694. *Rakocio, Principi Transylvaniæ.*

LINEA GENEALOGICA
LANDGRAVIORUM
De Heſſen-HOMBURG

TAndem Haſſiæ PRINCEPS SANGVIS, per FRIDERICUM, Filium GEORGIJ I. Landgravij de Heſſen-DARMSTADT, etiam in lineam LANDGRAVIORUM de Heſſen-HOMBURG diffuſus, Purpuram ſuam, Dignitatemque promovit latiùs.

Porro LANDGRAVIJ de Heſſen-HOMBURG, denominationem ſortiti, ab Urbe ſui LANDGRAVIATUS, HOMBURG in Haſſia, ſuper Fluvium Ohm, ſita, olim HOHINBURG, nuncupata; cui adjacet Arx Monti impoſita, horum Auguſtale Landgraviorum: *Winckelman. Chron. Haſſiæ. p. 207.*

FRIDERICUS I.
LANDGRAVIUS de Heſſen-HOMBURG

PRimus itaq; ſtipes Horum LANDGRAVIORUM de Heſſen-Homburg ab an: 1595. eſt FRIDERICUS I. Georgij I. Landgravij de Heſſen-DARMSTADT, Filius Tertius, in lucem progenitus an: 1585. Matre Maria Magdalena, Filia Bernardi Comitis de Lippe.

Matrimonio ſuo ſociavit an: 1622. Margaretham Eliſabetham Filiam Chriſtophori, Comitis de Leiningen, ex qua dedit luci quatuor Principes Filios. Hos inter ſenior natu, Philippus, anno ætatis 20. cùm adoleſceret, fatîs ſurreptus ſub an: 1643. *Lexic. Germ. voce Homburg.*

Secundus Wilhelmus Chriſtophorus, à Bingenheim, ſorte ſua, dictus Comes de Bingenheim; cujus unicus Filius, Leopoldus Georgius morte obijt an: 1675. ante Patrem, citra Poſteros, cùm 25. Octob. 1654. natus eſſet ex Sophia Eleonora, Filia GEORGIJ II. Landgravij de Heſſen-DARMSTADT.

Tertius Georgius Chriſtianus militiam exercuit in Hiſpaniæ & Galliarum Regnis pariter nullo herede relictô ex Conjuge Anna Catharina Detleos, Pockwiſchen Von Farbe, Filia, & Comitis de Ahlefeld, Vidua, funere ſuo cumulavit fata, *Ita Lexic. Germ.* idemq́; Ludovicum Georgium, & Georgium Chriſtianum mortuos in infantia refert.

Quartus FRIDERICUS, Landgravius deinde de Heſſen-HOMBURG, natus an. 1633. 30. Maij.

Jam Filiarum una, Chriſtina Wilhelmina, Friderico Duci de Mecklenburg-Grabau, connubio juncta. Altera Magdalena Sophia, Wilhelmo Comiti de Solms, deſponſata. *Lexic. Germ,*

At Fridericum I,. hujuſce Parentem Sobolis, *Lexic. Germ.* 3. Maji., *Morery* 9. Maij anno 1638. deductum ad ſuprema referunt. FRI-

FRIDERICUS II.

LANDGRAVIUS de Hessen-HOMBURG.

FRIDERICUS II. Landgravius de Hessen-HOMBURG, natus 30. Maij an: 1633: primò Sveticæ militiæ nomen, & animum dederat; annoque 1658., magna pars pugnantium, obsidioni Coppenhagensi, intererat: ubi pedem unum globô tormentariô ademptum projecit, usus in posterum pede argenteo, nuncupatusq;: LANDGRAVIUS PRINCEPS CUM PEDE ARGENTEO: quasi pretiosa ejus ubiq; forent vestigia, & sæculis æstimanda: & sic erat.

Dein apud Electorem Brandenburgensem, GENERALIS-Lieutenant, tam in Alsatia, quàm ad Fehrbellin an: 1675, Generositate sua, Martiô animô, Heroicîs gestîs, insigniter inclaruit. Tum emptum in Ducatu Halberstadiensi, Ducatum, Wewerling suæ ditioni adjecit.

Interea fatis sublatus an: 1687, Frater ejus, Wilhelmus Christophorus, qui à GEORGIO II, Landgravio de Hessen-DARMSTADT, Bingenheim obtinuit, eo tamen pactô, ut, si Herede Masculo destitutus, post sera fata decederet, denuo in eam Domum rediret, quod dono acceperat. Illo nihilominus sinè mascula Prole ad tumulum abeunte, FRIDERICUS hic Landgravius, post Fratris obitum, possedit Comitatum Bingen-

heimenſem, qui tandem ei pleno jure ceſſerat, enumerata Lineæ de Heſſen-Darmſtadt, ſummâ pecuniariâ 100000.

Primo thalamo 12. Maij an. 1661. vitæ ſuæ Sociam induxit Margaretham Abrahami Comitis de Brahe Filiam, Viduam Joannis Comitis de Oxenſtern, quam fatis amiſit Menſe Majo, anno 1669. At ſecundô votô nuptam an. 1671. habuit LUCIAM ELISABETHAM, JACOBI DUCIS CURLANDIÆ Filiam, ex qua ſuſceperat Charlottam Sophiam Dorotheam in terras editam 17. Junij an: 1672: Matrimonio junctam 14. Novembr: an: 1694. Duci de Saxen-Weimar Frneſto.

Tum Eliſabetham Julianam Franciſcam, quam in Conjugem duxit an: 1702. Fridericus Wilhelmus, Princeps de Naſſau-Siegen; ſed vitâ functam flevit 12. Novembr: an. 1707.

Filiarum Natalem exceperunt Magni Filij, FRIDERICUS JACOBUS, natus 29. Maij an: 1673. nunc temporum LANDGRAVIUS de Heſſen-HOMBURG.

Alter Carolus Chriſtianus, qui annô 1695. ſub occaſionem irruptionis in urbem Namur, acceptîs vulneribûs, quemadmodum ejus frater Philippus, in prælio, ad Spiram, an: 1703. occubuit Heros.

Poſtquam ſecundas quoq; tædas, Luciamq; Eliſabetham mors exſtinxit an: 1690; facem novã

accen-

accendit Hymen, præluxitque Friderici II. Nuptiis cum Sophia Sybilla Comitiſſa de Leiningen-Weſterburg, Joannis Ludovici, Comitis de Leiningen-Hildenheim, (vel Dagsburg) relicta Vidua, initis annô 1692. Quid profuit, brevia genuiſſe ſolatia, Ludovicum Georgium, Fridericam Sophiam, Filium rurſus Leopoldum? præcocibûs fatîs deceſsêre; ſuumq; poſt funus traxêre Patrem in tumulum Homburgi 24. Januarij an: 1708. defunctum. Cujus Conjux per Decretum obtentū adversûs Patruelem ſuum, Philippum Ludovicum, controverſum aliàs Comitatum, Oberbrunn Annô 1691. obtinuit. *Puffendorff de Frid. Wilhelmo. Speneri Sylloge. Imhoff. Not. Proc. Lexic. Germ. voce Frideric. pag. 333. col. 1.*

FRIDERICUS JACOBUS

LANDGRAVIUS de Heſſen-HOMBURG.

Modernus.

FRIDERICUS JACOBUS in terras editus 29. Maij an: 1673. Matre LUCIA ELISABETHA, JACOBI DUCIS CURLANDIÆ Filia, nupta anno 1671. Princeps eſt omnibûs inſigniîs, quæ Viros ſummos conſecrant, ornatiſſimûs; Scientiîs Architectonicæ, Geometricæ, apprimè excultus; plus demum Herois exprimens, quàm Hominis. De primis annis, Reipublicæ Holandi-

cæ Generalis-Lieutenant, arma fecit laureata, dum tractavit.

In thalamum ſuum invitavit ELISABETHAM DOROTHEAM, LUDOVICI IV. Landgravij de Heſſen-Darmſtadt, Filiã natam an: 1676. at deſponſatam an: 1700. Conjugem lectiſſimam, quæ præter nativam Germanicam, etiam Italicæ, Gallicæ, Latinæ, tantum fuit gnara lingvæ, ut aliquos eruditos libros Italico idiomate prælô expreſſerit quaſi æterna ſui ingenij, Sapientiæ, & eruditionis argumenta. Nihil in humanis incuſandum fecit; niſi quòd objerit.

Genuit illa Marito PRINCIPI *Juxta Lex. Germ. voc. Frideric. cit.* Proles Septem: Has inter, in tenero ætatis flore ſurreptas, CAROLUM JOANNEM Filium 25. Aug. natum; an: 1706, Is Imperatoriæ Moſchoviæ Majeſtatis, Gvardiæ, ſeu Przyobrażenici Exercitus, COLONELLUS, ſicut omnium Amor erat, dum viveret, ita luctus fuit ſingulorũ, dum in Livoniæ Urbe, Felin, fatis obijt circa Annum 1729. Eo magìs in lacrymis ſepulto, quam in cinere, Landgravius Pater, ſpe poſteritatis ulterioris, ſecundô connubiô deſponſavit Chriſtinam natam 2. Septembr. Annô 1685 Viduam, Comitiſſam de Naſſau.

Et plures ille quidem Liberorum titulos deſiderare poterat; majores, votîs etiam concipere non poterat, quàm Gloriæ Paternæ adferat, CEL-

SIS-

SISSIMIS Major Filius, LUDOVICUS JOANNES WILHELMUS, PRINCEPS HEREDITARIUS, de Hessen-HOMBURG, nunc GENERALIS ARTILLERIÆ Rossiaci Imperij, EQUES Sancti ANDREÆ Apostoli &c. natus 15. Jan: 1705. Vir tanti Nominis, qui solus, ceu Mutius Scævola, Familiam suam posset consecrare Gloriæ, & per Merita summæ, & per armorum robur invictæ.

Patere verò, hîc qua moderatione excellis, LUDOVICE PRINCEPS SERENISSIME, festinanti licèt ad exitum calamo moram injici, & ad primum gestientis Famæ impetum, Teq; SUPREMUM Artilleriæ Rossicæ GENERALEM secundissimo rumore devehentis gradum figere. Occupâsti GENERALATUM Artilleriæ, munus IMPERATRICIS Moschuæ ANNÆ, id est GRATIÆ, ipsemet millenas, ultra ternionem fictarum, spirans gratias, quæ sic prodromis Maximorum Honoribus, merita Tua voluit Orbi palam fieri, intentissima in omnem occasionem, in Te coronandæ virtutis. Pridem id Mars ignivomus votîs exambivit ardentissimîs, ut TE SUPREMUM Rei Tormentariæ Præfectum suspiceret, quo, bellicas Machinas instruente, plumbeos orbes, ad Orbîs terrorem, exonerante, illi etiam, duo Fulmina belli, Scipiadæ, ardorem præliandi concipere potuissent. Ille terrarum fatale malum, Fulmenq;, quod omnes perureret pariter populos, Alexander

Macedo, à Te prima certandi tirocinia, formandi ordinis, extendendi, aut contrahendi cunei, ſternendi demum hoſtis, leges derivaret. Militarem Tuam peritiam, in primo flore, & ætate viridi, duris exercitam indolem, ad Magiſterium bellicæ fortitudinis, & prodigium in animos transferrent Pompeij, Julijq́;. Fruitur hîs, fruetúrq́; ætas noſtra, ac poſteritati porriget, ut omnium mentibus inſerat, quantîs meritîs pro TE certantibûs, capias magna, invadas maxima, Heroicæ virtutis præmia. Præbuiſti jam PRINCEPS GLORIOSISSIME, ſpecimen illius, quam vix alter ſperaret, fortitudinis: plura pollicetur Genij Tui Martius ardor. Ludes vices Martis LUDOVICE PRINCEPS, ac crebros inter tormentorum ignes triumphatis hoſtibus inures ignominiam DUX; militum accendes animos, & Nomen Tuum illuſtraturas pyras excitabis triumphales. Quanquã, alia Tibi quoq́; expeditior, (quam nos libatam tantùm, Regalibus inſerendam folijs, integris attollendam voluminibus conſignamus) vincendi ars eſt, Famæ viribûs uteris, & Nominis Majeſtate bella conficis; ut tantundem armorum circumferre videaris, quantũ affabilitatis & comitatis. Miramur hæc? ſpondet ea vivida ætas TUA, quæ nec Druſorum, Trajanorumq́; dedit ſenium: ſecuturi Te Heròës mirari poterunt, conſequi non poterunt. Julius, ſpectato in tabula Bellatore Alexandro, non inhonoro, quia virili fletu vultum inficiens doluiſſe fertur, quòd hic triginta Annorum ſpatiô, orbis

bis

bis ſubacti Gloriam concluſerit, ſibi verò eadem ætas ſolam peperit herbam: quam Victori orbîs porrigeret. Tu pariter PRINCEPS STRENUISSIME, trigeſimam meſſem, ſed non tam annorum, quàm glorioſê geſtorum colligis, immenſo orbîs Theatro inferendam, poſteris ſæculis ad invidiam, quæ tantùm Te ordine ſequentur, non æmulâ, ſeu bellô, ſeu pace Rectefactorum Tuorum Gloriâ. Dum verò Magnanimitatis Tuæ veſtigia prenſamus, & umbratilî foliô, Solibûs meridianîs Illuſtrius NOMEN redimimus; TU MAGNUS Artilleriæ PRÆFECTUS ignium acies inſtrue, bellicaſq; inter flammas, velut inter ignes Luna minores ILLUSTRISSIMUS fatuos hoſtiles ignes, ignibûs compeſce triumphalibûs. Sic Tibi, ferream inter Martis ſegetem, PRINCEPS AUREE, ducant Parcæ ditiſſimo ſtamine longa fila. Proferant Superi in ſolia, hìc Orbi deſcriptum LUDOVICUM MAGNUM, ut theatrum habeant merita, ante Thronum Regalia, ante Titulum Auguſtiſſima.

TABULA GENEALOGICA LANDGRAVIORUM de Hessen-HOMBURG.

- Fridericus I. *Landg. de* Hessen-Homburg *primus, Filius Landgr. de Hessen-Darmstadt Georgij I.* Fortunati *sive* Pij. *natus 1585. Matre Maria Magdalena Filia Bernardi Comitis de Lippe. Duxerat 1622. Margaretham Elisabetham, Filiam Christophori Comitis de Leiningen. Obiit 9. Maij 1638.* - - - -
  - Philippus *Adolescens annorum ætatis 20. Obiit 1643.*
  - Wilhelmus *Christophorus de Hessen-Bingenheim. Natus an. 1625. 15. Novembr. duxit 1650. Sophiam Eleonoram, Filiam Georgij II. Landgravij de Hessen-Darmstadt cujus unicus Filius juxta* Lexicon. Germ. - - - -
    - Leopoldus *Georgius natus 25. Octobr. 1654. obiit 1675.*
  - Georgius *Christianus Heros per Hispaniam & Galliam. Duxerat Annam Catharinam Detleos Pockwischen Von Farbe, Filiam & Comitis de Ahlefeld Viduam.*
  - Fridericus III. *Landgr. de* Hessen-Homburg. *Natus 30. Maij 1633. dictus: Princeps cum Argenteo Pede, cum suum amisisset 1658. in obsidione Coppenhagensi primum duxit 12. Maij 1601. Margaretham, Abrahami Comitis de Brahe Filiam, Viduam Joannis, Comitis de Oxenstern. Qua mortuâ in Majo 1669. duxit 1671. Luciam Elisabetham Jacobi Ducis Curlandiæ Filiam. Hac defunctâ 1690. nupsit tertiô votô Sophiæ Sybillæ, Comitissæ de Leiningen-*Westerburg, *Joannis Ludovici, Comitis de Leiningen-Hildenheim, sive Dagsburg, Viduam. genuitq;* - - - -
    - 2dô thorô.
    - *Charlottam Sophiam Dorotheam, natam 17. Junij 1672. quam duxit 14. Novembr. 1694. Dux de Saxen-Weimar.*
    - *Elisabetham Julianam Franciscanam nuptam 1702. Friderico Wilhelmo Principi de Nassau-Siegen. Obiit 12. Novembr. 1767.*
    - Fridericum III. Jacobum *natum 29. Maij 1673. qui* Landgravius *de* Hessen-Homburg *modernus, duxit Elisabetham Dorotheam Ludovici IV. Landgravij de Hessen-Darmstadt Filiam, 1700. natam 1676. ex qua progeniti.* - -
      - LUDOVICUS JOANNES WILHELMUS Landgravius Hassiæ, PRINCEPS Hæreditarius *de Hessen-*Homburg, GENERALIS *Artilleriæ Imperij Rossiaci,* EQUES S. ANDREÆ *Apostoli,* Gvardiæ Przyobraženicæ MAJOR *natus 15. Jan: 1705.*
      - Joannes *Carolus natus 25. Aug. 1706. Rossiaci Imperij* Gvardiæ *Colonellus in Urbe Livoniæ Fellin obiit circa an: 1729.*
    - *Carolum Christianum, defunctum 1695. acceptis vulneribus sub irruptione in Urbem Namur.*
    - *Philippum, qui in prælio ad Spiram 1703. Heros occubuit.*
    - 3tiô thorô.
    - *Ludovicum Georgium natum 10 Jan: 1693.*
    - *Fridericam Sophiam.* } *defunctos in teneris.*
    - *Leopoldum.* } *defunctos in teneris.*
  - *Ludovicus Georgius.* } *mortui in infantia.*
  - *Georgius Christianus.* } *mortui in infantia.*
  - *Christina Wilhelmina desponsata Friderico Duci de Mecklenburg-Grabau.*
  - *Magdalena Sophia, Conjux Wilhelmi Comitis de Solms.*

SYLLABUS SCRIPTORUM
Quorum hìc authoritas refertur.

Abrahami Pakſchay Hungari Chronolog. de Regibus Hungariæ. *Latinæ edit.*
Adelardi Erich. Chronicon Juliaci. *Germ. edit.*
Alberti Saurij Chronic. Haſſiæ *Germ. edit.*
Antonij Bonfinij Itali Decadum libri de Hungaria. *latin. edit.*
Arnoldi Hiſtoria Eccleſ. *Germ. edit.*
Barland. Chronic. Brabant. *latin. edit.*
Bertij libri Commentar. Germaniæ. *latin. edit.*
Biedenkopff Genealog. LANDGRAVIORUM HASSIÆ. *Germ. edit.*
Dillichij Chronic. HASSIÆ. *Germ. edit.*
Divæi rerum Brabant. *Latin. edit.*
Goldmayer. de Orig. HASSIÆ. *Germ. edit.*
Gluveri Germaniæ Antiquit. *latin. edit.*
Gramaye Antiquit. Brabant. *latin. edit.*
Haræi Chronic. Brabant. *latin. edit.*
Heraldi Operum Pars ſpecialis. *latin. edit.*
Heroldi Europa. *latin. edit.*
P. Joannis Kwiatkiewicz S. J. Annales. *Polonicæ edit.*
P. Joannis Nadaſi S. J. Annus Cæleſtis die 19. Novemb. *latin. edit.*
Lexicon Hiſtoricum, An. 1722. Lipſiæ editum *Germanico Idiomate.*
Ludovici Morery Grand Dictionaire Hiſtorique. *Gallicæ edit.*
Ludovic. de Germ. Principib. Dom. Saxon. *latin. edit.*
Martini Cromeri Epiſc. & Princip. Varmienſis libri de Rebus Polonor: *latin: edit.*
Miechovitæ Hiſtoria Poloniæ Regni. *latin. edit.*
P. Petri Ribadeneira Soc: JESU Vitæ Sanctorum, de S. Eliſabetha. *latin. edit.*
Puffendorff de Rebus Sveciæ. *latin. edit.*
Rheinhardi de Antiquit. Marchionat. & de Orig. LANDG: Haſſiæ. *latin. edit.*
Sagittarij Antiquit. Ducatûs Thuringiæ. *latin. edit.*
Sebâſtiani Münſteri Coſmographiæ Univerſalis libri VI. *latin. edit. circa an. 1550.*
Thuani Hiſt. Tab. Genealog. Principum Haſſiæ. *latin. edit.*
Wecky Deſcrip: Dreſdenſis. *Germ. edit.*
Wilhelmi Winckelmann de Principib. HASSIÆ. *Germ. edit.*